



















1950/A

£3

L LIV

LB12



THADDÆI DVNI LOCARNENSIS, MEDICI, DE CVRANDI ratione per venæ sectionem liber quartus, tribus aliâs editis addendus.

IN QVO, REVVLSIONIS, DEriuationis, *simplicisq; vacuationis natura penitius inspicienda proponitur, & superiorum librorum loca aliquot cumulatius confirmantur: ad ea verò, quæ obiecta fuerunt, respondetur, & de euacuationibus* κατ' ἴξιν *factis, deq; occultis meatibus fusius disputatur.*



TIGVRI APVD CHRISTOphorum Froschouerum. 1579.

THADDÆI DVNI LOCARNENSIS, MEDICI, IN QVARTVM suum librum de curandi ratione per sanguinis missionem, Præfatio:

AD EXCELLENT. AMPLISS. Reipublicæ Tigurinæ Medicum, GEORGIVM CELLARIVM.

*Q*Vamprimum amici quidam libros, de vacuandi ratione per venæ sectionem, à nobis editos legerūt, Cellari doctißime, non nulla, ad hanc tractationem omnino pertinentia, à me fuisse omissa dixerunt. Ac cum alia non pauca commemorent, in primis tamen mißionis sanguinis generaliter sumptæ definitionem nullo modo præter mitti debuisse putant. Quanquam enim venæ sectionis differentias omnes, vel species, præmiserim, & quamlibet suis terminis circun-

ſcriptam & definitam dederim, ſibi tamen non ſatisfactum aiunt, ideóq; generalem miſſionis ſanguinis definitionem petunt. Quorum ſententiam vt improbare prorſus non poſſum, ſic nec per omnia ſequi. Etenim quo ad minutiora illa, quæ à me tractari voluiſſent, (agnoſco alioquin illorum in me propenſam voluntatem atque amorem, & gratias, ſicuti debeo, ago maximas) ſi ſcopos, quos mihi propoſui, & in librorum titulo, atque præfatione, & in ipſo primo libro monſtraui, intueantur, proculdubio cernent clariſſimè, illa his in libris nequaquam fuiſſe tractanda. Si præterea conſiderent, ea, quæ de ſecandis venis docui, non tyronibus, ſed ijs, qui in arte multum verſati ſunt, & medendi præcepta intelligunt, eſſe prodita, facilè videbunt illa non ſine ratione fuiſſe prætermiſſa. Quippe ſi ijs, qui bonam vitæ partem in arte triuerunt, leuiſſima & minutiſſima quæque propoſuiſſem, primùm quidem à via mea deflexiſſem: deinde lactis cibum adultis iam, ideóque ſolidiorem poſcentibus, præter rationem dediſſem. Quod verò ad ea, quæ maioris ſunt momenti, attinet,

(quorum

(quorum tamen non raro meminimus) pleraque sunt à Galeno, medico nobili & inclyto, tam bene disposita, tam purè, támque eleganter & eruditè tradita, vt melius, purius, aut elegantius tradi vix poßint. Debet autẽ omnis labor noster, studium, & industria in eo poni, vt quæ à veteribus minus elaborata, minus exculta, minúsque expolita sunt, & quasi inchoata tantùm relicta, quoad fieri potest, politiora, splendidioráque faciamus, & perficiamus. Etenim in ijs, quæ iam olim ad summũ perducta fuerunt, ita vt à nobis addi nihil amplius posse videatur, quorsum laboraremus? aut paucis immutatis, aliáue facie ipsis inducta, nostra faceremus? Equidem in Galeni libro περὶ φλεβοτομίας valde multa tradi profiteor, quæ nec meliora, nec ornatiora fortasse quisquam fecerit. Cæterùm aliqua tum eo in libro, tum alibi ab eodem authore tradita reperi, quæ & meliora, & splendidiora fieri posse iudicaui: in quibus cùm illustrandis, tùm perficiendis, quantum habui ingenij atque industriæ adhibui. Simul etiam controuersias multas & acres, quæ clarißimos quosque me-

dicos nostra ætate diu multúmq; exercuerunt, pro mea virili composui, præcepta de venis secandis clara, & firmis nixa fundamentis tradens. Huc respexi, hæc spectaui, hoc meum fuit propositum quando libros hosce composui. His itaq; contentos esse amicos meos velim, in quorum tamen gratiam multa hoc in libro, quem prioribus tribus adijcimus, daturi sumus, ad ea, quæ prius fuerunt tradita, & confirmanda, & illustranda multo magis, pondus maximum habentia. Spero etiam ea, quæ sponte nostra, nostróq; consilio permoti afferemus, ijs, quæ ab ipsis postulata sunt, multo gratiora fore, quia ab alijs scriptoribus prodita, quod sciamus, nullo modo fuerunt. Nam quæ regiones, quæ anni tempora venæ sectionem magis requirant: qua diei hora, quali instrumento vena sit secanda: quàm cito æger nutriendus, quæ in euacuato sanguine sint contemplanda, huiusq; generis alia, & à multis medicis tradita sunt, & ad rem nostram nihil propemodum faciunt.

Nouum verò laborem hunc, quartum, inquam, librum de venarum secandarum ratione,

ne, tibi, colendißime collega, dedicandum putaui, vt & mea in te beneuolentia atque obseruantia publicè testata fiat, & grati animi signum aliquod extet, quod amorem erga me tuum magis ac magis accendat. Etenim me, hominem peregrinum, (pro tua singulari humanitate atque comitate) amore complexus, officijsque non raro prosequutus es, vt multũ me tibi debere negare nec poßim, nec debeam. Imo ea est tua vrbanitas, morúmq; suauitas, vt ad te amandum, bonáq; tua celebranda, facilè quemuis allicias. Multa siquidem à Deo tributa habes, quæ non tibi solùm, sed & patriæ ornamento sunt magno, vtilitatiq;. Habes ingenium atque iudicium, habes linguas & medendi peritiam, habes dicendi & agendi promptitudinem, habes honores atq; fortunas, habes denique bonum illud maximè expetendum, quo sine reliqua iucunda esse non possunt, valetudinem scilicet inculpatã (quæ partium corporis conformatione apta, conuenientiq; tẽperatura continetur) vt iam bonis vitæ huius egregiè auctus, cumulatúsq; videaris. Et hæc aliáq; Dei dona, tibi nõ conseruari

modò, verumetiam quàm maximè augeri velim, vtpote qui tibi in seculo hoc felicia omnia, in futuro autẽ ipsißimam beatitudinem sempiternã optẽ: qua certè, Christo dante, potituri sunt illi, qui fide armati, qui charitate ornati, qui spe fulti fuerint, qui deniq; rebus cæteris omnibus spretis in vnũ Deum cogitationem suam omnem direxerint, eúmq; solum ex toto corde, viribúsque totis amandum sibi proposuerint. Sed tu interim vale. Porrò vnum est, quod te vehementer etiam atque etiam rogo, videlicet vt propensi in te animi testimonium hoc publicum boni consulas, méque, vt fecisti, perpetuò ames. Tiguri

XVII. *Calend. Iunias.*

CIϽ IϽ LXXIX.

THADDAEI DVNI LOCARNENSIS, MEDICI, De arte euacuandi per venæ sectionem, Liber quartus.

CAPVT I.

Omissæ libro primo mißionis sanguinis, generaliter sumptæ, definitionis, ratio redditur: Acakiæ definitio improbatur: & alia melior traditur.

DEfinitionem, qua sanguinis mißio omnis comprẹhendatur, ideo nullam libro primo attuli, quòd venæ sectionis notio ita vulgaris sit, vt de ea ambigere nō contingat. Quis enim est è puerorū grege, promiscuoq́ vulgo, ne dicam è medicis, virisúe doctis, qui nesciat, quid sit venam aperire, vel secare, sanguinémue detrahere? Imò non aliam ob causam Galenum ipsum in libris, quos hac de re scripsit, venę sectionis definitionem neglexisse ac præteriisse puto: nullibi enim quid sanguinis mißio sit definiuit. Si hoc illi vitio non vertitur, cur mihi? si ille non accusatur, cur ego accusandus videor? Quid,

Galenus uenæ sectionē nullibi definiuit.

quòd ne Leonardus quidem Fuchſius Medicus celeberrimus id tentauit in Comment. in Gal. librum περὶ φλεβοτομίας? Quænam huius rei cauſa fuit? non alia, opinor, quàm quòd ea res tam ſit vulgo nota, quàm quæ notiſsima. Definimus enim ea, quæ minus ſunt nota, quæ difficilia, & de quibus diſſertatio eſt, nec ab omnibus ſimiliter accipiuntur. Alias quoque conſilij mei rationes habui. Cum enim tam reuulſionē, quàm deriuationem definierim, tertium quoq; miſſionis ſanguinis genus, ac quartum, ſuis limitibus circunſcripſerim, ex ijs facilè quiuis mediocriter, ne dicam, egregiè doctus, generalem definitionem feciſſet, ſi voluiſſet. Cúmq; omnis diſputatio de ſpeciebus, non de genere ipſo, mihi inſtituenda eſſet, generis ratione neglecta, ſpecierum naturam ſumma diligentia introſpexi. Vt tamen amicis, rem paruam à me petentibus, ſatisfaciam, definitionem, quæ abſolutiſsima mihi videatur, in medium afferre conabor: quam enim ipſi proponunt tam parum placet, vt ne recitare quidem velim.

Martini Acakiæ definitio miſſionis ſanguinis examinatur.

Vnam definitionem non inelegantem, nec inartificioſam, tradit Martinus Acakia inſignis medicus, in ſuis in Galeni artem paruam commentarijs, quæ tamen ſuis numeris abſoluta nō videtur: illam ergo pauliſper examinabimus, poſtea aliam meliorem, niſi fallor, amicis noſtris dabimus. Acakia priuſquam ad principia, propoſitionéſq; de venæ ſectione (quæ exempli

pli loco eleganter proponit)accedat, de definitione missionis sanguinis sic scribit: Quid autem sit, ex eius genere, & differentijs cognoscendum est. Sanguinis igitur missionis genus est vacuatio: differentię autem sumuntur ab eius effectu, & materiæ, quæ educitur, substantia, & quantitate. Vacuat enim affectus materiam, ac promiscuè omnes humores, non solùm è loco propinquo, sed etiam longinquo, sine vlla noxa. Sanguinis igitur missio est, quæ affatim, ac promiscuè omnes humores trahit, ac vacuat è toto corpore, eiusq́ partibus, tam propinquis, quàm longinquis, citra vllam offensionem, siquidem rectè fiat. His enim differentijs ab alijs vacuandi formis distinguitur. Nam quatenus affatim vacuat, à scarificatione, & hirudinibus, quæ paulatim vacuant, differt. Quatenus autem promiscuè vniuersam humorum multitudinem, à purgatione, quæ solùm vitiosos humores educit, & quæ sequuntur. Videtur quidem studio & diligentia satis elaborata hæc diffinitio, verumtamen nullum ferè membrum habet, quod vitio careat. Primùm enim, cum ait, quæ affatim trahit, & vacuat: si ob virium imbecillitatem, vel aliam ob causam, sanguinem modicum consultò nonnunquã educamus, num ideo sanguinis missio non erit? Si reuulsuri vacuationem in vices partiamur, ac etiam venæ vulnus non magnum infligamus, qualibet autem vice sanguinis pauxillum emittamus, quemad-

modum Galenus facit libro quinto methodi medendi, sanguinem è naribus erumpentem retracturus: num hæc sanguinis missio dici non meretur? Si vena secta sanguis lentè stillauerit, an hęc vacuatio missionis sanguinis nomen amittet? Quatenus affatim vacuat, inquit, à scarificatione, & hirudinibus differt. Enimuerò Germani scarificationibus suis sæpenumero sanguinem cumulatius auferunt, quàm Itali suis venarum sectionibus. Aliæ differentię in definitione poni possunt, quæ missionem sanguinis, ab alijs quibuscunque sanguinis euacuationibus, melius, clariúsque separent, ac distinguant. Addit postea, promiscuè omnes humores: hoc membrũ vtcunque ambiguum videtur: potest enim quis intelligere, missionem sanguinis talem & tantam vacuationem esse, vt exhaustis omnibus humoribus, nihil in corpore reliqui faciat: præcipuè cum subijciat, è toto corpore, & eius partibus. Multo clarius, & melius dicemus, sanguinem, quàm humores omnes, per sanguinem intelligentes, quod vulgo sanguis appellatur, cõfusam scilicet istam humorum molem, quæ in venis est: vt nunc missum faciamus eum, qui in arterijs. Sic enim ambiguitatem illam vitabimus: quamuis non nesciam medicos satis intellecturos, quid per humores promiscuè omnes acceperit. Non enim totos, sed de omnibus speciebus quiddã æquabile, cum permixti & confusi sint in venis. Nam seipsum postea explicat

Sanguis uulgo dictus.

quando

quando ait: quatenus autem promiſcuè vniuerſam humorum multitudinem vacuat, à purgatione differt, quæ ſolùm vitioſos humores educit: quanquam & hîc eandem eſſe ambiguitatem, imò maiorem, dixerim, ob illud, vniuerſam humorum multitudinem. Dices, inſpiciendum eſt vltimum definitionis membrum, citra vllam offenſionem: vt intelligas non vniuerſum ſanguinem euacuari, quandoquidem id fieri citra noxam non poteſt. At ille particulam, citra offenſionem, ſic accipit, vt ſi dixiſſet, citra dolorem, & moleſtiam. Scribit enim: quatenus blandè, & ſine læſione vacuat, à purgatione, & ſcarificatu differt. Etenim purgatio ſæpe dolores, morſus, labores, variaq; ſymptomata moleſtiæ plena excitat. Scarificatio quoque dolorem habet coniunctum. At ſanguis per venæ ſectionem euacuari poteſt vniuerſus abſque dolore: nam qui ſentitur dum vena ſecatur, nullius eſt momenti. Dicat rurſus quiſpiam: carpis membrum illud, humores omnes, cum tamen Galenus in ſecunda ſectione aphoriſmorũ, non aliter de venæ ſectione agens loquatur. Reſpondeo, Galenum non definire venæ ſectionẽ, ſed tantùm oſtendere quomodo à purgatione differat. Cum enim hęc peculiares ſuccos, eóſq; vitioſos educat (in hunc enim finem adhibetur) venæ ſectio ęquabiliter omnes euacuat. Et vbi de vtroque euacuationis genere tractatur, talis dubitatio naſci non poteſt: ſed vbi de altero

Venę ſectio à purgatione in quo differat.

tantùm, & præsertim vbi definitur (sicuti pau-
lò pòst fiet) ambiguitas eiusmodi facilè men-
nostræ sese offert.

Rursus alio modo ambiguum est, quod di-
tur, missionē sanguinis euacuare humores pr-
miscuè omnes è toto corpore, & eius partibus
quia cum in arterijs quoque multus sit sanguis
aut humorum multitudo magna, hæc per mis-
sionem sanguinis incisa vena non euacuatur.
Quare addendum aliquid erat, quo sanguis qu-
in venis est, ab eo, qui est in arterijs, separare-
tur. Animaduertendum quoque, cum dicimu-
sanguinis missionem euacuare humores pro-
miscuè omnes, hoc est, tam bilem vtranque, & p-
tuitam, serúmque, quàm sanguinem (secundùm
proportionem scilicet) purgationem verò so-
lùm vitiosos: quòd ipsa etiam venæ sectio hu-
mores vitiosos, qui videlicet in venis cum san-
guine circumfluunt, educat, sed non solos, ve-
rùm cum sanguine mixtos, cum sanguine, in-
quam, puro, & propriè dicto. Quocirca rectis-
simè faciunt medici illi, qui, si remedio vtroque,
venæ sectione scilicet, & purgatione, opus esse
iudicarint, sanguinem prius mittunt, postea ve-
rò purgant. Qui secus faciunt, & peccant plu-
rimùm, & Galeni præcepta saluberrima negli-
gunt. Finem dicendi de hac definitione factu-
rus, illud tandem adijcio: nullam ab Acakia
differentiam fuisse appositam, qua sanguinis e-
uacuatio, quæ arte fit, ab ijs, quæ fiunt à natura,
distin-

Venæ sectio purgationi præmittenda.

distinguatur. Quapropter definitio ista sua tam euacuationi, quæ fit per nares, per hæmorrhoidas, & per vterum, quàm illi, quæ per venas chirurgi manu, & phlebotomo, siue scalpello sectas, competit. Latius ergo patet definitio, quàm definitum, quod maximè vitiosum est. His omnibus sic expositis, ad nostram definitionem nunc veniamus.

Cum omnia, quę medicus in morbis curandis solet adhibere, remedij nomine contineantur, supremum genus missionis sanguinis, remedium erit: nam sanguinis missio non modò remedium est, sed è maximis, & excellentissimis vnum. At quia remediorum infinitæ sunt formæ, differentijs aliquot adiectis remedium per venæ sectionem à cæteris omnibus distinguetur. Sumendę verò sunt differentiæ ab effectis, & scopis, quos medicus intuetur, à materia, quę tollenda est, & ab instrumentis modóque tollendi. Quoniam igitur euacuat, remedium erit euacuatiuum. Et quia arte sectis venis fit, hoc quoque in definitione locum habebit. Cum autem promiscua materia, quæ venis continetur, hoc remedio educi soleat, remedium euacuando sanguini destinatū dicetur. Porrò quia materia auferenda modò actu lædit, modò lædere parata videtur, remedium non tam curatiuum, hoc est, θεραπευτικὸν, quàm præseruatiuum, siue προφυλακτικὸν erit. Dicemus itaque, sanguinis missionem remedium esse, per venæ alicuius

Venę sectionis definitio noua cōstituitur.

incisionem adhibitum, ad euacuandum sanguinem, qui nunc naturæ aliquo modo molestus est, vel talis futurus, in toto, vel quapiam corporis parte. Hæc definitio vt alias euacuationes omnes, remediaq́ alia omnia excludit, ita omnes suas species includit: hæc igitur omnia breuiter ostendamus & explicemus. Cum dico esse remedium per venæ alicuius incisionem, distinguo à scarificatione, quæ solam cutem incidit: ab hirudinibus, quæ sine incisione sanguinem sugunt: ab euacuationibus, quæ à natura per nares, per anum, per vterum, aliásue partes fiunt, quoniam euacuationes istæ sponte apertis, non autem à nobis incisis venis contingunt. Deinde, quæ à natura fiunt, remedij nomine nõ continentur, sed tantùm quę fiunt à medico, qui naturæ minister est. Dicitur enim remedium, à medeor, verbo, quod medicinam facere significat: hoc verò remedijs à medico adhibitis præstatur. Remedij diffinitio, in libro diffinitionũ (qui Galeno adscribitur) huiusmodi assignatur: Remedium est, quod hominibus vtilitatis gratia admouemus, ex quantitate, qualitate, ordine, atque occasione compositum. Sanguinis quoque sputum, omnisq́ alia sanguinis profusio exclusa. Si chirurgus aliquam corporis partem secans, venã etiam secuerit, & sanguis effluat multus, sanguinis tamen missio non vocatur, ob fines, & scopos, qui in definitione exprimuntur. Quod additur, ad euacuandum sanguinem:

Quæ natura in morbis curandis facit, remedij nomine non continentur.

nem: hoc nõ modò à purgatione, & apophlegmatiſmis, ſed ab alijs omnibus euacuandi formis, quibus non ſanguis, ſed alia quæpiam materia euacuatur, ſeparat. Non poteſt autem accipi de euacuatione ſanguinis ſpirituoſi, qui in arterijs eſt, tum quia per venæ, non arteriæ, inciſionem euacuatio perficitur, tum quia per ſanguinem abſolutè dictum, eum, qui in venis, non qui in arterijs eſt, intelligimus. Hunc enim non ſimpliciter ſanguinem, ſed ſanguinem ſpirituoſum, aut, qui in arterijs eſt, aut aliquo alio adiuncto nominamus. Plato in Timæo, ſanguinem impetu quodam in corpus vniuerſum manantem vocat. Ideo Galenus libro ſexto de placitis Hipp. & Platonis ſcribit: Igitur ſicut arteriarum, ita etiam ſpirituoſi & feruentis ſanguinis in animalibus cor eſt principium, & fons: vt ex hoc iracundiæ quoque ſedem in eo collocatam eſſe facilè cognoſcamus. Atq; iccirco Plato cor eius ſanguinis fontem eſſe dixit, qui per omnia membra vehementer circunfunditur. Qui enim è iecore proficiſcitur, non vehementer fertur: quippe cum neq; ſpirituoſus ſit, neque quæ eum continent venæ quicquam pulſent. At qui è ſiniſtro cordis ventriculo prouenit, & calidior, & ſpirituoſus admodum eſt, etc. Atque hinc eſt, vt arteriæ ſpiritus vaſa dicantur, licet ſanguinem quoq; contineant. Quamobrem immeritò Fuchſius Linacrum carpit, in ſuis annotationibus in lib. Gal. primum de ſa-

Sanguis in arterijs exiſtens nõ eſt ſimpliciter ſanguis.

nitate tuenda, quòd pro eo, quod Græcè habet: καὶ τῶν ἀγγείων δι' ἕκαστον, sanguinis spiritúsque vasa verterit: cum Galenus in libro de plenitudine arterias spiritus vasa vocet, vbi ait, εἰς τὰ τοῦ πνεύματος ἀγγεῖα. Quod in nostra definitione sequitur, qui nunc naturæ aliquo modo molestus est, hoc artis partem respicit, quæ præsentes morbos curat. Altera verò particula, vel talis futurus, artis officium spectat, quatenus à morbis præseruat. Mittendum enim esse sanguinem, non modò cum morbus iam vrget, sed & quando illius futuri suspicio adest, Galenus in libro de curandi ratione per sanguinis missionem luculenter ostendit, & nos in libris nostris similiter fecimus. Vltima duo definitionis membra mox explicabuntur. Nunc ipsas missionis sanguinis species (quas esse quatuor primo nostro libro docuimus) in hac definitione inclusas videamus. Reuulsionem definiuimus eam esse venæ sectionem, quæ nunc fluentem pręter naturam ad aliquem locum affectum sanguinem in contrarium sui motus ex vena vtcunque longinqua retrahit: membrum illud primum: reuulsio est venæ sectio, cum illo congruit, remedium per venæ incisionem Quod sequitur, quę nunc fluentem præter naturam ad aliquem locum affectum sanguinem, idem est, quod, ad euacuandũ sanguinem, qui nunc naturæ aliquo modo (suo motu scilicet) in quadam corporis parte molestus est. In contrarium porrò motus, ex vena

Quomodo definitio tradita uenæ sectionis species omnes complectatur.

vtcunque

vtcunque longinqua, in eo generalis definitionis membro continetur, per venæ alicuius incisionem: debet autem reuulsio ex vena in longinquo, & parti affectæ contrario loco posita fieri. Totam igitur reuulsionis definitionem in illa bellè inclusam intelligis. Non aliter sentiendum de deriuatione, quę remedium est per venæ alicuius (loco scilicet affecto vicinæ) incisionem, ad euacuandum sanguinem, qui sua præsentia & multitudine naturam nunc grauat, in hac, vel illa corporis parte pręter naturam consistens. Simplicis quoque vacuationis natura tota (quam inferius diligenter explicatam inuenies) in generali definitione pulchrè continetur. Etenim simpliciter vacuare per venę sectionem, hoc est, sanguinem, qui à sede sua non discessit, nec discedit, propter suspicionem futuri morbi alicuius, aut propter præsentem quempiam totum corpus occupantem è vena quapiam secta elicere, idem planè est, quod, per venæ alicuius incisionem euacuare sanguinē, qui nunc in tota corporis mole naturā grauat, aut grauaturus putatur, si vel nimius est, vel ad morbum generandum, aut augendum facere alioqui videatur. Nihil igitur in specierum definitionibus est, quod generis definitione comprehensum non sit: nihil in hac, quod alicui illarum non tribuatur. Et hæc quidem habui, quę de diffinitione dicerem, vt & me excusarem, & amicis quoque satisfacerem: quæ si placuisse

intellexero, gratum vtique mihi erit, ne eadem de re denuo disserere cogar.

CAPVT II.

Defenditur doctrina de deriuatione, superioribus libris tradita.

DE reuulsione suprà libro primo, & etiam secundo (Argenterij sententiam refellens) in primis verò libro tertio, cap. decimo, cum Fuchsio disputans, satis clarè & copiosè disserui, vt nunc non habeam, quod adijciendum esse putem. Responsum enim abundè est ijs, qui reuulsionē ad partes valde longinquas semper faciendam existimant: sed & illis, qui partium contra se positarum maiorem, quàm fluoris, rationem habent. Item quæ eius sit natura, quómodo fieri debeat, expositum atq; declaratum est. De deriuatione verò rursus disputare necesse habeo, ob eorum præcipuè clamores, qui de nominibus potius, quàm de rebus ipsis, contendere gaudent: quanquam & de reuulsione nonnulla necessariò sint admiscenda. Præbet quidem litigandi occasionem, materiámque multam ad id suppeditat Galenus ipse noster, idem tamen centum in locis admonet, vt relictis, quę de nominibus sunt, disceptationibus, res ipsas intelligere, cognoscere, &, vt sic dicam, possidere satagamus. In methodi medendi libro 4.

non procul à fine, & in eiusdem methodi quinto, pauló post principium: postea secundo commentario super sextum Hippocratis de morbis vulgaribus, demum libro secundo ad Glauconem, si quis, quæ Galenus de deriuatione scribit, inspiciat, facilè videbit confusam de deriuatione doctrinam ab illo memoriæ fuisse proditam. Nam modò ad fluentes humores, modò ad fluxos, & parti alicui inhęrentes, accommodat. Libro quarto methodi sic tradit: Hippocrates in libro de succis nos edocuit ἀντισπᾶν μὲν κελεύων εἰς τἀναντία, παροχετεύειν δ᾽ εἰς τὰ πλάγια, id est, reuellere iubens ad contraria, deriuare autem ad latera: quinetiam cum maximè influit, tum reuellere. Dictum verò & de hoc in eo libro est. Quare nunc quoque si etiamnum fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria studebimus; vtique si in superioribus vlcus consistat, per inferna purgantes: sin autem in inferioribus sit, superiorem ventrem vacuantes. At si iam fluxio restitit, atque in membro inhæsit, παροχετεύειν ἄμεινον, deriuare præstat. Galenus hoc loco, primùm quidem deriuandi verbum de humoribus fluentibus videtur accipere, sed tamen in fine citati sermonis, manifestè de fluxis, & membro inhęrentibus sumit. Deinde non dicit simpliciter initio sermonis, παροχετεύειν, sed addit, εἰς τὰ πλάγια, id est, ad latera: quid autem per latera intelligat, posterius dicemus. Notandum verò, quòd hoc loco de venæ sectione non agat, sed de purga-

Galenus de deriuatione confusè scripsit.

tione. paulò pòst subiungit: Ac si perpetuũ est, quod ab eo didicimus, incipientem fluxionem ad contraria trahendam esse: fixam verò iam in laborante particula, vacuandam esse vel ab ipsa particula, quæ affligitur, vel à maximè vicina: in promptu nobis & de sanguinis detractione colligere nunc est, quòd in principio hæc è longinquo, postea ab ipsis exulceratis partibus sit molienda. Hic ad remedium per venæ sectionem transit quidem, sed verbum παροχετεύειν non apponit, ideo hinc nihil certi colligere possumus: reliqua igitur videamus.

Libro quinto methodi scribit: Auertitur autem sanguis, atq; ad alia membra conuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad cõtraria reuulsus: illud παροχέτευσιν, hoc ἀντίσπασιν Græci vocant. Linacrus interpres hoc loco etsi de suo nihil addidisse videatur, aliter tamen, quàm Græcè habeatur, vertit. In Græco enim non explicatur quò fieri debeat reuulsio, aut deriuatio, sed tantùm scribitur, sanguinem ad alias partes auerti παροχετεύσει τε καὶ ἀντισπάσει, id est, deriuatione & reuulsione. Sed hoc non magni est momenti. Porrò hic de venæ sectione quidem agit, sed nullum exemplum subijcit: postea autem remediorum & euacuationum genera hæc magis explicans, exempla producit, sed non à venæ sectione sumpta. sequitur enim sic: Nam hæc quoq; Hippocratis inuenta sunt, omnis scilicet immodicæ vacuationis communia remedia.

Deri-

Deriuatio ad vicina loca fit, (libro quarto, vt paulò antè vidimus, παροχετεύειν εἰς τὰ πλάγια dixit, nunc verò εἰς τοὺς πλησίον τόπους: plurimùm autem differunt duę istæ locutiones, nec pro eodem accipi poßiunt: nam vacuationes ad latera in non vicinis locis fieri poßunt, & quæ fiunt in locis vicinis, poßunt esse nõ ad latera) cum id, quod per palatum vacuatur, per nares deriuatur: reuulsio autem ad contraria, cum ad inferna reuellitur. Rursus quod per sedem profluit, & quæ sequuntur. Si exemplũ vnum, aut alterum deriuationis per venæ sectionem attulisset, certius vtiq; sciremus quomodo talem vocem accepisset. Id autem hoc loco non fecit, sed tamen alibi, vt ostendemus, vbi deriuationem non aliter, quàm nos docuerimus, sumit. Sequitur tamen hoc ipso loco exemplum vnum misßionis sanguinis, sed ei nec reuulsionis, nec deriuationis nomen imponit: quanquam si diligentius ipsum examinauerimus, reuulsionis nomine accipiendum esse, non obscurè visuri simus. Galeni sermo sic habet: Eandem ob causam cum è naribus sanguis erumpit, id retinent maximæ in præcordijs defixæ cucurbitæ. Infigendæ autem sunt si ex dextra nare profluit, super iecinore, sin ex sinistra, super liene, si ab vtraq; nare, super vtroque sunt imponendæ viscere. Quòd si resolutus adhuc æger non sit, etiam vena ex eodem cubito incidenda est, (obseruent diligenter Galeni præceptum hoc, qui reuulsionẽ ad ma-


Deriuare ad latera, & deriuare ad uicina, quomodo differre poßunt.

Quo nomine appellanda sit uenæ sectio in sanguinis è naribus profusione adhibita.

ximè distantia faciendam volunt: cubitũ enim secari præcipit, non pedes, nec cucurbitas pedibus apponit) qui profusioni è directo respondet. Vbi paulum detraxeris, mox vnam horam intermittens, rursus detrahes, pòst iterum, atque iterũ, pro laborantis viribus. Cum morbus hic nimia sanguinis profusione fiat, remedijs sanè indiget, quæ ipsum sistant. Quia verò sursum fit, euacuationem, quæ deorsum, hoc est, in contrarium, reuocet, quę ab omnibus citra controuersiam reuulsio nominatur, exposcit. Quę igitur recenset Galenus remedia, ea sunt propriè reuulsoria. Ergo vt cucurbitula, sic & venæ sectio illa reuulsio est appellanda. Præterea, cum vacuationem non semel totam compleat, sed paulatim per multas vices detrahat, apparet in eum finem ab eo fieri, vt sanguinem ad inferiora redire, suísque in sedibus sese continere, doceat. Alibi enim in reuulsionibus id esse obseruandum memoriæ prodidit. Quocirca sic concludo: si Galenus sanguinis detractionẽ istam proprio nomine appellasset, non aliter, quàm reuulsionem, siue ἀντίσπασιν nominasset. Sed iam ostendam, deriuationem (vt hoc loco deriuationem in reliquis adductis exemplis accipit, & vt libro superiore, pręsertim quando εἰς τὰ πλάγια faciendam ait) non autem reuulsionem esse nuncupandam. Vacuatio enim, quæ ad vicina fit, deriuatio est. At fluente è naribus sanguine si vena in cubito secetur, vacuatio ad vicina fit. Est

ergo

ergo deriuatio. Nam cubitus à loco affecto nõ multũ distat, nec vlla est alia uena propinquior, quæ commodè secari possit, debeátue. Præterea, venæ sectio ista non ad contraria, sed εἰς τὰ πλάγια, hoc est, ad latera fit, quocunq; modo latera accipias. Vacuatio autem ad latera facta, non reuulsio, sed deriuatio nuncupanda. Etsi enim retractio aliquousq; in contrarium fiat, non tamen vsque ad euacuationis locum. Sit enim a b, vena caua, per quam sanguis magno impetu sursum fertur ad nares in b: linea verò c d, humeraria dextra, si sectio fiat in d, trahit quidem ab ipso b, sed vsque ad c tantùm in contrarium, inde verò vsque ad d deriuat per angulum acutum: imo trahit aliquid deriuátue, ab inferioribus partibus per obtusum angulum e. Ita fit, vt sanguinem, qui in fluxu est ab a ad e, deriuet in d: eadémq; opera eum, qui fluit supra e vsque ad b, retrahat ad eundem sectionis locum. Operçpretium autem est hoc loco admonere, quid per id, quod Galenus vocat, εἰς τὰ πλάγια, intelligendum esse putemus. Non enim latera totius corporis, dextrum & sinistrum, vt multi perperam sumunt, sed latera canalis, vel aluei, per quem humores fluunt (& item latera partium affectarum, quocunque spectent) quemadmodum sanè subindi-



cauimus libro tertio, figura ad id exprimendũ apposita. Quomodo enim quod per palatum vacuatur, si ad nares ductum fuerit, ad corporis latera duci intelligetur? Et quod per sedẽ profluit, si ad vuluam reuocetur? Confundit enim Galenus (quod tamen faciendum non esset, vt suprà diximus) locutiones has, ad latera, ad vicina, & vnam pro alia sumit, id quod manifestè apparet è libro quarto methodi loco superius citato. Scitè admodum vtranque coniunxit Fernelius, deriuationem definiens humoris illapsi tractum in vicinum latus. Nos tamen lateris mentionem in definitione non esse faciendam iudicauimus, sed vicinitatis & coniunctionis venarum tantùm. Sed ad deriuationem istam redeamus. Cum reuulsio per rectam lineam, quo ad eius fieri potest, fiat, vacuatio, de qua diximus, non per rectam lineam fit, sed per angulos ad partes vicinas hinc & inde positas. Etenim sicut dextram humerariam, dextra nare laborante, secamus, sic laborante sinistra, sinistrã. Ex his manifestè cernimus, quanta nominum, & rerum simul confusio sequatur, si contentiosi esse velimus. Si autem contentiones omnes omittere in animum inducamus, venę sectionem omnem ad humorum impetum compescendum adhibitam, reuulsionem appellabimus, siue recto itinere fiat, siue per angulos, vel ad latera, quando aliter fieri nequit. Atque sic deriuationem istam sub reuulsionis nomine comprehendemus

Vacuare ad latera, ut sit intelligendum.

Reuulsio quænam sit appellanda.

demus, absque vllo incommodo, & absque confusione. Sin minus, res vna duobus nominibus erit appellanda, aut nomen vnum idémq; duabus rebus erit imponendum: sed quid postea pariet talis æquiuocatio?

Nunc alia Galeni loca euoluamus: secundo commentario in sextum Hippocratis de morbis popularibus scribit: Deriuationem sanè appellare consueuit Hippocrates, quando succus aliquis euacuationis indiget, neq; per conuenientem regionẽ ferri inceperit, neq; tamen valde procul à cõuenienti, neq; ad remotissimam. Vt si per lotij vias exire cœperit vitiata vesica, aut renibus, tunc enim per aluum deriuare satius fuerit. Quemadmodum etiam si per ventrẽ vitiatis intestinis ferri tentauerit: contrà enim in istis succum euacuandum ad vrinarios meatus dirigimus. In mulieribus verò nonnunquã ad vterum: aut econtrario interdum, vteri profluuiũ ad vrinæ vias, ac ventrem deriuabimus. At si in aliqua id genus vacuatione vomitum citauerimus, reuulsionem hanc nominat: vt si vomitus retraxerimus ad vterum, aut vesicam, aut sedem incitantes. hęc Galenus, in quibus de missione sanguinis nullum fit verbum: quare vt alium adhuc librum inspiciamus, necessarium omnino videtur. Prius tamen est obseruandum, quòd Galenus omnia, quæ hactenus è libris ipsius recitauimus, & quæ adhuc recitanda supersunt, Hippocrati accepta referat, eius inuen-

Galenus [v]arius.

ta appellet, & deriuationis vocem, vt & reuulsionis, ab illo se accepisse profiteatur, cum tamē quatuor in libris, quatuor modis locutus sit, neç vspiam dixerit, deriuationem ab Hippocrate multiplicem fuisse inuentam & traditā. Cæterùm quæ videnda restant, ea in secundo ad Glauconem libro, cap. 2. leguntur, è quibus facile est intelligere, quid deriuatio sit, quando de vacuandi ratione per sanguinis missionem agitur. At ex positu, inquit, indicatio neque ipsa est negligenda: nam per quæ euacuare oporteat, atq; quomodo, ipsa præcipuè demōstrat. Fluentium igitur humorum retractio (sic enim Hippocrates nominat) eorum autem, qui iam membrum obsederunt, deriuatio medela est. Vtrunq; autem euacuationis genus per communes venas fieri præcipit: veluti in locis muliebribus, in contrarium trahes si eas, quæ in cubito sunt, secueris venas, aut mamillis cucurbitas apposueris, vel manus concalefeceris, & fricueris, atq; alligaueris. Deriuabis autem, si eas, quæ in poplitibus, aut talis, venas diuiseris, & cucurbitas coxis apposueris, & crura calefeceris, ac perfricueris, atq; alligaueris, &c. Hoc loco Galenus de venæ sectione agit, non de purgatione, vt aliis tribus in libris suprà nominatis: ac duo hæc missionis sanguinis genera sic explicat, vt clarius non possit. Vocabitur itaque ἀντίσπασις, siue retractio, aut reuulsio, venæ sectio omnis, quę humorum fluxui inhibendo adhibetur,

Reuulsio et deriuatio ut à Galeno su[m]antur in missione sanguinis.

tur, vbicunque facta fuerit, modò secundum leges fiat. παροχέτευσις autem, hoc est, deriuatio, dicetur venæ sectio illa, quæ ad euacuandum humores membro alicui præter naturam inhærentes ritè præscripta fuerit. Quòd si duplicem statuere vellemus deriuationem, vnam, quæ fluentibus, alteram, quę fluxis debeatur, vel fluentibus humoribus duo inhibentia remedia per venæ sectionem tribuere, vnum in contrarium, alterum in latus, & illud reuulsionem, hoc deriuationem appellare, in æquiuocationes, & rerum perturbationes detrudemur, & quæ dicimus Galeni testimonijs manifestis non probabimus. Etsi enim de deriuatione variè locutus est, cum tamen de venæ sectione agit, remedium fluentibus humoribus adhibitum non deriuationem, sed reuulsionem vocat. Non est ergo deriuatio duplex in venæ sectione, sed simplex. In purgandi ratione (purgandi verbum hîc sumimus latè, quatenus errhina quoque, & apophlegmatismos, & similia complectitur) videtur quidē duplicem facere deriuationem, si diligenter aduertas quæ ex quarto, & item quæ ex quinto methodi libro descripsimus, at hoc ad rem nostram non facit. Duo verò fluxum cohibentia remedia putare, et duobus nominibus appellanda, quæ in eundem finem, & vno eodémque modo fiunt, alienum omnino videtur, & Galenus vno reuulsionis nomine cōprehendit: vt id præterea addā, quòd nulla potest ad latus fieri eua-

Deriuatio quæ fluentibus humoribus adhibetur, rectius reuulsio dicitur.

euatio (in partibus superioribus, in quibus reuulsiones fiunt) fluentibus humoribus, quæ aliquo modo, vel aliquousque in contrarium nõ trahat, modo ritè administretur. Et hoc quidẽ etiam nomine reuulsio & est, & vocari debet, non autem deriuatio. Ad latus enim factam euacuationem sanguine è naribus promanante, non deriuationem, sed reuulsionem appello, & suprà ostendi Galenum non aliter appellare voluisse, aut debuisse. In vicino loco factam euacuationem, si humores fluant, & in contrarium, hoc est, radices vasorum versus, quod mihi idẽ est, ea euacuatione auertantur, similiter reuulsionem, & nullo modo deriuationẽ nuncupandam censeo. Si cui è cerebro humores in fauces destillent, cauterium capiti admotum (vt in alijs etiam remediorum generibus exemplũ afferamus) remedium est reuera reuulsorium: admouetur tamen in parte vicina: neq; hanc medelam quisquam, vel Galenus ipse, vocabit deriuationem. Sic cum angina incipit, humeraria secatur, neque sectio hæc deriuatio dicitur, licet & ad latus, & ad vicina fiat. Quamobrem accuratè monuimus superioribus libris, non tam propinquitatis, aut distantiæ, imò nec contrarietatis locorum, quàm ętatis morbi, & fluoris materiæ, legitimiq; affectionem loci, rationem habendã esse. Quinimo animaduertas velim, in exemplo, quod Galenus secũdo ad Glauconem libro proponit, manifestè cerni quod de

Venę sectionem facturi, quænã maximè considerare debeamus.

angulis

angulis diximus, per quos reuulsio fit. In locis muliebribus, inquit, in contrarium trahes, si eas, quæ in cubito sunt, secueris venas. Cum fluxus humorum deorsum ad vterum fiat, rectè sursum retrahitur in contrarium: & venę sectio illa verè reuulsio est: non fit tamen vacuatio ista per lineam rectam ab vtero, ad cubitum, sed per angulos, tum à caua vena ad internam cubiti, tum etiam à venis ad vterum pertinentibus, ad cauæ caudicem. Et in libello de reuulsione Galenus idem scribit: Reuulsoria verò præsidia sunt, irruente in thoracem, & ventrem humore, ad manus retractio. Hæc sanè retractio ad latera fit, vt ut latera sumas: si ad latera, etiam per angulos: dicitur tamen reuulsio, non autem deriuatio.

Venit autem in mentē, quid mihi obijci possit. Superius libro tertio scripsi, Galenum, in secundo ad Glauconem, deriuationem definire, quòd euacuatio sit humorum locum affectum obsidentium, in vicino loco factam, id quod in in hoc etiam capite mihi sumo. Dicet ergo aliquis: Galenus nón definit deriuationem, sed tantùm docet, quòd humoribus in parte laborante hærentibus deriuatio medeatur. Neque enim quid deriuatio sit, sed cui malo adhibenda, tradit. Permitto quidem vt locum quis exponat prout velit, interim quo pacto deriuationis definitio hinc sumatur accipe. Primùm quidem, partem affectam obsidentes humores de- Obiectio.

Deriuationis veræ definitio quomodo è Galeno sumatur.

riuatione curari, Galenus affirmat, nec aliud nomen huic euacuationi imponit. Porrò in medendi methodo deriuationem ad vicina fieri debere docuit, id quod hoc quoque loco, libro scilicet secundo ad Glauconem, innuit, quãdo ait: Interiores autem venas secare oportet, hę enim viciniores sunt, & magis è directo patientibus membris. Ne verò deriuationis vocabulum latius patere putes in venæ sectione, ita vt fluentibus etiam humoribus adhibeatur, scribit author noster: fluentium humorum reuulsio medela est: non dicit, deriuatio, aut, reuulsio, & deriuatio. Quid igitur nunc obstat quominus dicamus, deriuationem esse venæ sectionem in vicina loco affecto parte factam, ad euacuandum sanguinem eidem loco affecto inhærentem? siquidem è Galeni verbis patet, humores inhærentes venæ sectione illa tolli, quæ deriuatio appellatur, & fluentibus humoribus non adhibetur: alioqui Galeno sic vtique scribendum fuisset: Fluentium humorum tum reuulsio, tum deriuatio, membrum autem obsidentium vacuatio simpliciter medela est: nam deriuationem repetere absurdum fuisset, nisi prius ostendisset, quomodo fluentes, & quomodo fluxos, eadem euacuationis species educat. Ioannes Fernelius (vt de Fuchsio, qui totus nobiscum est hac in re, nihil dicam) in libro de vacuandi ratione, cap. 10. paucis vtranque vacuationem eleganter sic describit: Est enim reuulsio

ſio procumbentis & illabentis humoris tractus in contrarium: deriuatio autem, illapſi tractus in vicinum latus. Sed in inſtituto noſtro nunc pergamus. Quandoquidem igitur Galenus ipſe de venæ ſectione agens, deriuationem, humorum partem iam obſidentium, medelam definit, tu, ſi velis, vacuationem aliam quamlibet, quæ per venæ ſectionem non fiat, voca modò reuulſionem, modò deriuationem vt placet, liceat autem mihi Galenum hac in re ſequi, vt de venarum ſectione agens, vacuationem eam, quę fluxum ſanguinem educit, deriuationem appellē, & vocabulum hoc alteri euacuationi nulli tribuam. Reuulſionem autem vocem, vacuationē illam, quæ fluentes humores per rectā lineam, vel per angulum rectum, acutum, obtuſum, reuocat in contrarium, quatenus fieri poteſt, & à loco patiente auertit. Si quem ego equum appello, tu Bucephalum, aut Hippocentaurum appellare malis, non moror, modò equi naturam intelligas. Optimum tamen eſt, ſi in tradendis diſciplinis iiſdem omnes nominibus vtamur, ne alius hoc, alius aliud docere videatur. Dixi libro tertio meam reuulſionem, meámque deriuationem, (de ſimplici vacuatione proximo capite aliquid dicturi ſumus) non modò è Galeno petitam eſſe, uerumetiam ad docendum pulchrè accommodatam. Etenim cum ſanguis vel quieſcat adhuc ſuo in loco, & præter naturam aliò non transfluat, vel transfluat quidem, ſed non-

Reuulſio & deriuatio, logomachiis omiſsis, ut accipiendæ.

Venę ſectio per ſuas differentias

dum in aliquo membro fixus sit, vel locum non suum iam occuparit, vel partim occuparit, partim ad occupandum acceleret, quatuor hinc (quintum nullum video, nisi fortè per accidens, quod alicubi attigimus libro primo) constitutionum sanguinis genera nascuntur, quibus quatuor euacuandi formæ, quas tradidimus, respõdent. Hoc ordine, hac doctrina, nihil melius fingi posse puto. Interim si quis meliora habet, amplecti non grauabor: hoc enim sæpe professus sum, & nunc profiteor, modò inanibus, de vocabulis, resectis contentionibus, res ipsas cum legentium, & ægrorum (quos curandos suscipimus, & in quorum gratiam labores hos subimus) vtilitate & fructu doceamus.

Deriuare vnde dictũ.

Deriuare, aiunt quidam, idem est, quod riuum ducere. At riui è fluminibus, aquisue fluentibus ducuntur: & hoc modo deriuatio fluentes respicit humores, non autem fluxos. Quid verò, si vocabuli rationem concedam, negem autem quod inde assumitur? Etenim riui non semper è fluentib⁹ aquis, sed interdũ etiã è quiescẽtibus ducuntur. Aliquando quidem è fluminibus, aliâs è fontibus ipsis, nonnunquam è mari, è lacubus, non raro è stagnis, vt collectæ aquæ aliò deducantur, ne ibi damnum aliquod dent. Vt alius deriuationem vocat, quando riuus è fluente aqua deducitur, sic ego quando è quiescente, & stagnante. Non magis est riuum facere, aut deducere, cum venam aperimus ad educendum

fluentes

fluentes humores, quàm fluxos, quiescentésue: imò omnis venæ sectio est quasi riui deductio. Ergo venæ sectio omnis vocari potest deriuatio. Hoc porrò si recipiamus, ordinem omnem, methodum, & docẽdi rationem profligabimus: nisi postea dicamus deriuationem esse multiplicem, vnam quæ fluentes, aliam quæ fluxos, tertiam quę quosdam alios humores educat: sic de quarta, aut pluribus alijs. Imò cum Galenus deriuationem nunc ad latera, nunc ad vicina esse faciendam humoribus fluentibus dicat, duæ minimũ erunt deriuationes (monuimus enim, non esse idem ad latera, & ad vicina, licet Galenus vnum pro alio sumat) in solis fluentibus. Sed si possumus cuiuis euacuationum generi, aut saltem pluribus, propria nomina commodè imponere, quorsum communi vteremur? Vocetur ergo reuulsio, quæ fluentem sanguinem quò non oportet, in contrarium retrahit, etiamsi non retrahat per continuatam lineam rectam eoúsque, vnde præter naturam fluere cœpit, nec vsque ad sectionis locum. Quandoque enim parum in contrarium trahit, ab affecto tamen loco egregiè auertit, vt secta humeraria in angina. Deriuatio verò vocabitur, quæ fluxos, & membrum cõsidentes humores euacuat: tertium genus, quod vtriusque nunc dicti officium facit.

Christophori à Vega Complutensis opinionem refutauimus lib. 3. simul etiam ostendimus, *Christophorus à Vega pugnantia de deriuatione tradit.*

ipsius doctrinã sibi ipsi non esse consentaneam, quandoquidem deriuationem nunc ad fluentes humores, nunc ad fluxos transfert. Martinus quoque Acakia similiter vt ille vacillat: loco enim superius citato, ex commentarijs in artem paruam, scribit: E longinquo autem trahit, cum fluentem humorem in contrarium reuocat: è propinquo verò, cum deriuat ad latus. E loco affecto, cum solùm vacuare volumus. Vbi vacuationem humoris, qui in loco affecto inhæret, non deriuationem, sed simpliciter vacuationem appellare maluit. Idem author principio postea quarto de venę sectione, ait: Eadem (venæ sectio scilicet) humorem locum iam occupantem deriuat & vacuat. Et in commentarijs in librum secundum ad Glauconem scriptum reliquit: Retractio verò, vbi humor adhuc in fluxu est: at vbi locum iam obsidet, deriuatio. Ad eundem modum, vbi pars fluit, pars iam locum obsidet, vtroque remedio, nempe retractione, & deriuatione est opus. hæc ille: mox tamen ad fluentes humores deriuationem rursus transfert. At si deriuatio fluentium humorum remedium est, cur fluxis adhibetur? Si fluxorum vacuatio simpliciter, cur deriuari dicuntur? Hæc quidem eò spectant, vt intelligas, eos, qui diuersum docent, etiam nolentes in sententiam nostram nonnunquam ire. Hoc autem vt faciant, Galeni locos eos, in quibus materię in loco affecto fixæ vacuationem deriuationis

Martinus Acakia sibi ipsi contrarius.

nomine

nomine vocat, causam præbere arbitror. Sed cum nullibi, de venæ sectione agens, vacuationem humorum confluentium deriuationem nominet, cur hoc non discunt, quòd licet in euacuationibus aliorum à sanguine humorum, deriuatio tam fluentibus, quàm fluxis, à Galeno adhibeatur, (quod tamen vt ingenuè fateamur, parum arridet, mallemus enim idem de cæteris euacuationibus, quod de venę sectione, statuere) id ipsum tamen non fiat in euacuatione sanguinis per venæ sectionem? Constanter igitur in sententia nostra permanemus, venæq; sectionis genera sicut docuimus, ita retinemus. Quòd si quis nos sequi nolit, modò quo in loco, & quo morbi tempore, quæque euacuationis species administranda sit, sciat, nominibus vtatur quibus velit. In confirmata angina nos humerariam, & venas sub lingua incidimus (vtinam alij omnes exemplis sua explicarent, & illustrarent, quemadmodum nos facimus: nam sępe logomachijs chartas multas implent, nullo vnquam proposito affectu, quo, quæ dicunt demonstrent) & vacuationes has deriuationis nomine insignimus, quibus impactum in loco affecto sanguinem vacuare studemus. Tu si nolis deriuationem nominare, vacuationem simpliciter, per me, nomines licet. Animaduertendum tamen tibi est, aliam quandam vacuationem simpliciter dictam, à Galeno tradi, quæ à tua ista plurimùm differat. Cogitandum quo-

Exemplis omnia esse illustranda in uenæ sectione.

que eſt, Galenum vacuationi illi, quæ confluxum in partem laborantem ſanguinem educit, deriuationis nomen impoſuiſſe, ideóque non rectè vacuationem ſimpliciter appellari poſſe. Noſtris placitis cùm alij multi, tùm ipſe etiam Victor Trincauellius fauet, in libro de vena in pleuritide ſecanda, vbi ſcribit, Galenum ſemper reuulſionem primis morborum, præcipuè phlegmones, initijs accommodare, deriuationem verò propriè morbo facto, & materiæ iam defluxæ. Alia multa in hanc ſententiam habet. Sicut autem in confirmata angina humerariæ ſectionem deriuationem nominamus, ita in illa incipiente eiuſdem venæ ſectionem appellamus reuulſionem. Itaque vides eodem in loco factam venæ ſectionem nunc reuulſionem, aliâs deriuationem dici: morbi enim ætas vacuationi nomen mutat. Si à faucibus ad hepar rectà trahere liceret angina incipiente, vtique talis auerſio propriiſsimè reuulſio eſſet: id cum fieri nequeat, ad cubitum auertimus, neque tamen deriuationem nuncupamus, licet ad latus, & ad vicina fiat. Reſpicimus enim magis ſanguinem ab affecto loco deorſum retractum, quàm ſurſum confluentem ad latus deriuatum. Et hac quoque de re dictum puto ſatis.

De va-

CAPVT III.

De vacuatione ſimpliciter dicta, quam genus quartum mißionis ſanguinis fecimus.

QVum venę ſectio omnis, vacuatio ſit, vacuationem generis nomen eſſe, non eſt quòd quis ambigat. Quòdſi ſpecies aliqua generis nomine appellanda ſit, videndum cuinam potiſsimùm nomen illud conueniat. Monſtrauimus paulò antè, vacuationem illam, quæ fluxos humores educit, duobus modis iniuria affici, tum quòd verum ipſius propriúmq; nomen alij tribuatur, tum quòd aliud non ſuum ei imponatur. Cui ergo vacuationi, ſimplicis vacuationis nomen tribuendum ſit, nunc inueſtigare aggrediemur. Initio primi libri, vbi de ſimpliciter appellata vacuatione egimus, Fuchſij ſententiam refutauimus, propterea quòd de venæ ſectione tractans, vacuationem quandam ſimplicem introducebat, ad venæ ſectionem nihil pertinentem. Euacuatio enim, quæ vel ſcarificatu, vel partis laborãtis inciſione fit (vt quod in ea præter naturam continetur, effluere queat) venæ ſectionis nomine non comprehenditur. Martinus Acakia in commentarijs ſcriptis in librum Galeni ſecundum ad Glauconem, ſimplicem vacuationem ſic accipit, vt & Fuchſius: ſed in commentarijs in artem paruam, quam

Vacuatio ſimplex, Fuchſio & Acakia introducta, a venæ ſectione non r[e]fertur.

nos deriuationem, ille simplicem vacuationem (vt suprà audiuimus) appellat, vbi scilicet con fluxum sanguinē è loco affecto educimus. Qua in re manifestè secum ipse pugnat, & vtrobique peccat, résque, vt alibi diximus, confundit. Nos autem verborum, rerúmque confusiones, ambiguitates, rixas, & contentiones omnes vitare in animum induximus: ac proinde, vacuationem simpliciter, nominamus eam, quæ in morbis ex humorum confluxu factis non adhibetur, sed tamen in dispositionibus illis, quæ futurorum metum incutiunt: futurorum, inquam, tam ex humorum confluxu, vt sunt inflammationes, quàm aliter: & tam particulariū, quàm vniuersalium. Locum tamē etiam in morbis factis hoc euacuationis genus habet (vt dicemus) sed non particularibus, verùm vniuersalibus.

Vacuationis simplicis definitio.

Hanc porrò sic definire possumus. Vacuatio per venæ sectionem simpliciter & absolutè dicta, est ea, quæ vel futurorum morborum quorumuis (particularium videlicet, vniuersalium, consuetorum, & non consuetorum, cum, & sine humorum confluxu) causas, quoad licet, anteuertendo præcidit: vel præsentium, sed vniuersalium duntaxat, curationem tentat Quippe genus hoc missionis sanguinis, quemadmodum

Diuisio eiusdem.

et summum genus ipsum, duplex est, προφυλακτικόν & θεραπευτικόν. Et quatenus προφυλακτικόν, iterum duplex est, nam præseruat à consuetis morbis, et à nouis quoque, quibus scilicet quis nondum

correptus

correptus fuerit, aut corripi alioqui nõ ſoleat. Quatenus verò θεραπευτικόν, curat ſolummodo morbos vniuerſales, videlicet qui corpus vniuerſum inuadunt, vt ſunt febres, vt arthritis, & ſimiles. Particulares enim morbos curare non poteſt, niſi ab affectis locis vel retrahat, vel vacuet: atqui alia hæc ſunt euacuationis genera, reuulſio ſcilicet, & deriuatio. Quanquam autem ordine quartum poſuerimus genus iſtud ſimplicis vacuationis, ſi quis primo loco numerare vellet, facile quidem pateret: attamen quia nec reuellere, nec deriuare dicitur, quid reuulſio, & quid deriuatio ſit, præmittendum videtur. Si hæc, etiam genus tertium.

Cur verò hoc potius euacuationis genus, quàm aliud quoduis, generis nomine appellare libuerit, eodem loco, initio primi noſtri libri expoſuimus ſic ſcribendo: Quartum deinde tertio contrarium eſt, quia neq; reuellit, neq; deriuat, ſed ſimpliciter vacuat: quam quidem ob cauſam vacuationis nomen ſimpliciter ei impoſuimus. Etenim cum reuellere, ſit, non modò vacuare, ſed etiam fluentem ſanguinem in contrarium trahere: deriuare quoque, non è quouis loco, aut toto corpore, ſed è loco affecto uacuare, fit vt genera hæc adiuncta quædam habeant, & ita ſimplicia eſſe deſinant. Quod in generibus rerum ſimpliciſsimum, abſolutiſsimũ, optimúmue, aut excellentiſsimũ videtur, ſæpe generis totius nomine ſimpliciter inſignitur:

Vacuatio iſta ſimplex, cur ſic dicta ſit.

non verò quæ his cõtraria ſunt. Simia quædam (exempli gratia) ſimpliciter ſimia appellatur, quę videlicet hominis figuram refert maximè: aliqua autẽ non ſimpliciter ſimia, ſed κερκοπίθηκος aut κυνοκέφαλος, aut aliter nominatur. Oleum ſi quis ſimpliciter dicat, intelligendum nõ modò de maturo, & non de omphacino, verumetiã de oleo ex oliuis, non ex amygdalis, aut nucibus, aut rebus aliis expreſſo, & quod externi nihil aſciuerit. Vini quoq; nomine intelligitur, quod ex vuis expreſſum, quod maturum, quod deferbuit, quod artis, alienæúe rei nihil habet. Quia ergo vacuatio hæc ſimpliciſsima vacuatio eſt, vt quæ hoc vnum agat, vt ſanguinẽ ſimpliciter vacuet, non addendo fluentem, vel fluxum, meritò vacuatio ſimpliciter nominatur. Quæ verò vacuat è loco affecto, non ſimpliciter ſanguinẽ vacuat, ſed vacuat ſanguinem præter naturam in locum confluxum, & ei impactum.

Poteſt præterea vacuatio ſimpliciter dici, quatenus non tantùm curat, vt reuulſio, atq; deriuatio, ſed etiã præſeruat: ſicut & vacuatio per venæ ſectionem generaliter ſumpta. Aliâs ipſa quoq; deriuatio abſolutè vacuatio dici poteſt, quatenus non tantùm è corpore, ſed etiam ex ipſo loco affecto vacuat. Atque ideo initio primi libri hanc meritiſsimò vacuationem appellandam diximus. Quia tamen generis naturam magis, quàm vlla alia, ſimplex euacuatio noſtra imitatur, iure generis nomẽ ei tribuendum videtur.

videtur. A cæteris autem quomodo differat, ex ſuprà dictis patet: particulares enim morbos præſentes nõ curat, nec ſanguinem, qui nunc in aliqua corporis parte moleſtus eſt, educit.

Accedit huc, quòd Galenus in libro περὶ φλεβοτομίας, cap. 21. vacuationis ſimpliciter nomen huic noſtræ, non autem ei, quæ à loco vacuat affecto, imponit, dum ſic ſcribit: Cęterùm in quibus vere ineunte venam incidere aggredimur, aut propter febris metũ, aut alterius cuiuſpiam affectus, ſcio me ſanguinem miſiſſe quibuſdam etiam poſteaquam rerum ſolitarum quippiam obiiſſent, ſiue in ludo literario, ſiue in officinis, ſiue in foro, ſiue in ædibus. Iteratæ tamen detractionis tempus, in quibus ſimpliciter quidem vacuare (ἁπλῶς κενῶσαι) conamur, eodẽ die eſto: at in quibus reuellere, ſi vel duobus deinceps diebus fiat, melius fuerit. Cũ prius Galenus oſtenderit, venæ ſecandæ tempus maximè opportunum, ſi nihil vrgeat, impediátue, matutinũ eſſe, vbi ægrotus horam circiter vnam vigilauerit: ſubdit nunc, tẽporis plus interponi poſſe in iis, quibus præſeruandi gratia venã ſecare decreuimus. Cæterùm illud eſt aduertendum, quòd de ſanis, non de ægrotis hìc agatur: quemadmodũ ſanè conſtat ex eo, quod dicit, vere ineunte, &c. ob febris, alteriúſue morbi metũ. Vacuatio igitur hæc ἁπλῶς appellata, nõ poteſt eſſe alia, quàm quæ à nobis poſita eſt: Cur autẽ diſtinguat ſimpliciter vacuare, ab eo, quod eſt vacuare cum

Vacuatio ſimplex à Galeno tradita.

reuulſione, & quomodo intelligenda ſint duo hæc præcepta, dicam ego ſententiam meam, quandoquidem Fuchſius in commentarijs non explicuit: iudicent verò alij rectè ſentiam, nec ne. Quia de iterata detractione agit, ſciendum, quòd detractionem iteramus aliquando quidẽ ob virium imbecillitatem (cum multam vacuationem vna vice non ferant) aliquando verò vt maiori cum efficacia reuellamus: vtrunq; autem hoc tam in ſanis (de quibus nunc loquimur) quàm in ægrotis: licet reuulſio vera, & vacuationis partitio reuellendi cauſa facta, in ægrotis, non autem in ſanis, propriè locum habeat. Quod ergo ait, repetendam detractionem eodem die in ijs, in quibus ſimpliciter vacuare volumus, duobus autẽ deinceps diebus, in quibus reuellere: primum quidem membrũ de illis accipio, qui æſtiuis morbis, præſertim ex defluxione factis, corripi non ſolent quidem, ſed cum ſanguinis multum habeant, periculũ ſit ne in febrem, aut affectum alium incidant, vires interim habentes non ſatis firmas. Nam qui firmas habent, largam detractionem vna vice factam perferunt. Quòd itaq; vacuationem partiamur, infirmitatis viriũ cauſa facimus. Quòd eodem die nonnunquã detractionem iteremus, plenitudo magna, & impendentis magni mali metus in cauſa ſunt. De his ſcribit Galenus in hoc ipſo libro, cap. 12. hunc in modũ: At in ſanguinis miſsione ſummũ id bonum eſt, euacuationem

Galeni locus paulò obſcurior illustratur.

[S]anguinis [m]iſsionem [...]ur, & in [q]uibus par[ti]amur.

tionem

tionem dum voles posse sistere, ac rursum quo videatur tempore fluere sinere, quoad vsq; rectè habere appareat. Quapropter præstat, nisi quid vrgeat, priori missione detrahere, iterúmque eam repetere, imò si lubet & tertiò. Vbi ergo multa euacuatione est opus, verùm vires sunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit, vti nimirum & me fecisse vidistis in ijs, quibus crudorum inerat humorum copia. Nam pauculo sanguine detracto, protinus melicratum exhibeo probè coctum cum incidentiũ medicaminũ quopiam, velut hyssopo, origano, et interim etiã nepita, aut pulegio, aut certè cum melicrato oxymel, aut oxyglycy: ac sic rursum sanguinem minuo, vel ipso eodem nonnunquã die, interdum die postero, & quæ sequuntur. Galenus sermone hoc nostram quidem expositionem confirmat, ea tamen etiam docere videtur, quæ mihi (vt ingenuè fatear) probari non possunt. Nam neque crudos humores tam cito concoqui, nec vires paucis horis sic confirmari posse puto, vt sine magno incommodo sanguinis detractio eodem die sæpius repeti queat. Sed de his non est hic dicendi locus.

Alterum membrum intelligo de ijs, qui particularibus ex defluxione morbis tentari quotannis, vel alioqui crebrò solent, nisi corpus antè vacuauerint. In his quia non solùm vacuare, sed etiam à locis affici solitis auertere conamur, optimũ est sæpius & sæpius, non vna tan-

tùm vice, auferre, non eodem, sed diuersis diebus, vt reuulsionis præsidium efficacius opituletur: siquidem de ijs, qui reuulsione indigent, Galenus loquitur. Etenim in fine duodecimi capitis superius citati, hoc pacto scribit: Quinetiam reuulsio ipsa, non leue existens auxilium, per sanguinis quoque missionem sæpius facta, quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto efficacior fit. Si quæsieris, cur hoc loco Galenus vacuationem tertio die repetat reuulsorium adhibens remediũ, libro autem quinto methodi in profusione sanguinis è naribus, eodem die sæpius idipsum faciat, in promptu est responsio, quòd illic de presenti, & plurimùm vrgente morbo, hîc verò de futuro tractetur. Dubium enim non est, præsentibus, vrgentibúsq; morbis celeriora remedià adhibenda, quàm futuris. Præterea illud sciendum, quòd cum vacuatio, quę reuulsionem non moliatur, è quauis vena (iecoraria tamen in primis) fieri possit, eam, quæ reuulsionem sibi proponit, è venis, quæ à locis affici solitis retrahant, esse faciendam. Atq; hæc nostra est loci huius interpretatio. Sed cum Galenus posteriorem vacuationem, quę cum reuulsione fit, à priore illa, quę simpliciter vacuatio dicta est, separet, nos sub vno simplicis vacuationis nomine vtranq; collocamus, quatenus προφυλακτικὴ est: quia reuulsio illa, quæ fluxuris, atq; ideo etiamnum quiescentibus suo in loco humoribus debetur,

Reuulsio sępius repetita efficacior est.

debetur, vt ad prę̨seruatiuam artis partem pertinet, ita à nostra simplici vacuatione aliena non est.

Remediũ per venæ sectionẽ generaliter sumptum, partim est

- προφυλακτικόν, atq; sic simpliciter vacuat sanguinẽ, quẽ putamus morbũ allaturum, vel ob ipsius
  - Qualitatẽ, si sit
    - Biliosus
    - Melãcholic⁹
    - Pituitosus
  - Quantitatẽ, cum plenitudinem facit
    - Ad vires
    - Ad vasa
- θεραπευτικόν, & tunc quatuor euacuationum genera cõplectitur
  - Vacuationẽ simpliciter, quæ febres, cęteróśq; vniuersales morbos curat.
  - Reuulsionem, quę fluentem præter naturã sanguinẽ retrahit in contrariũ.
  - Deriuationem, quę fluxũ è loco affecto extrahit.
  - Reuulsionem & deriuationem simul, quę morbis partim factis, partim fientibus adhibetur.

CAPVT IIII.

Quòd venæ fibris sint contextæ, quódq; sanguinem trahant.

FIbrarum nomine his in libris intelligimus corpuscula, veluti fila quędam, tenuium neruorum instar, è quibus venarum corpus, ipsa-

rum videlicet membrana contexta atque conflata eſt, perinde ac ſi venæ è telis eſſent factæ. Sunt autem fibræ corpora, partéſue ſimilares ſimplicisſimæ, in quibus nulla, quæ ſenſu percipi poſsit, compoſitio obſeruatur: quanquam compoſitæ ſunt è quatuor humoribus, & hi rurſus è quatuor elementis, vt reliqua omnia phyſica corpora. Porrò fibræ in animalium corporibus inſunt non longæ modò, id eſt, ſecundum corporum longitudinem ductæ, vt ſtamina in telis: ſed etiam tranſuerſæ, quæ ſecundum latitudinem, vel, ex tranſuerſo intertexuntur: quæ fila, in telis tramæ, & ſubtegminis nomine vocantur. Imò ſunt etiam tertij generis fibræ, obliquæ ſcilicet, per membranarum corpora obliquè ductæ. Non ſunt tamen in omnibus animalium partibus fibræ, omnium præſertim generum ſimul, ſed in aliquibus rectæ & tranſuerſæ, aut vnius tantùm generis: in venis verò (de quibus nunc agimus) & in arterijs quoq;, trium generum fibræ manifeſtè cernuntur ſicut dicemus. Quæ quidem Galenus ſuis in libris tradit, & Veſalius lib. 3. humanæ fabricæ, cap. 1. tum oratione, tum pictura elegantiſsimè monſtrat: verùm mutata poſtea ſententia, fibras in rerum natura non eſſe, ſed imaginatione tantùm à nobis, in præceptorum gratiam, concipi, ſcriptum reliquit in Examine anatomicarum obſeruationum Gabrielis Falloppij, vbi ait: Deinde memini quàm acris mihi cum Matthæo Curtio apud

Fibrarum deſcriptio.

Veſalius ſecũ pugnans

Bononien-

Bononienses aliquando his de rebus fuerit con trouersia: cum ipse in corporũ sectionibus num venarum fibræ sensui obuiæ essent ambigerem, ac nõ leuem impugnandarum fibrarum ansam Curtio, suisqꝫ discipulis, qui dudum ipsius placita diuulgarunt, porrigerem. Cum enim venarum substantiam variè discerperem, fibrarúmqꝫ inueniendarum gratia crudam illam, coctámqꝫ dissecarem, fibræ mehercule authorum nostrorũ potius nomine venerant imaginandæ, quàm vt in rerum natura illas esse possimus (vt verum fatear) asserere. Adeo vt tandem, cum & ego, nimirum de fibris istis, addubitarẽ, & negotium vniuersum ad quandam vulgarem magis, quàm meam sententiam reijcerem, alicubi scripserim fibris non multum tribuendum. hæc ille nobilissimus anatomicus. Bone Deus, quantum mutatus ab illo. Quemadmodum doctrinam de secanda vena in pleuritide sua in epistola doctissimè clarissiméqꝫ traditam, in fabricæ humanæ libris obscurauit & corrupit: ita hoc loco quæ antè in fabrica bellè monstrauerat, malè tollit & euertit. Indigna sanè tanto viro inconstantia & leuitas tanta: nec sine magno artis, suiqꝫ ipsius dedecore quæ benè prius posuerat, destruit. Quod ad venam in pleuritide secandam attinet, ostendimus superioribus libris illum non rectè fecisse, quòd parum, aut nihil interesse scripserit, cuius brachij vena secetur, atqꝫ hoc in epistola fuisse traditum. Quod

ad fibras verò, dicimus venas fibris esse contextas rectis, transuersis, atque obliquis sensui obuijs, si vt oportet à nobis inspectæ fuerint. Neque enim sese visui statim offerũt (vnde Falloppius illas in potẽtia magis esse scribit, quàm in actu, quia nõ mox sunt aspectabiles: quam quidẽ ob causam Vesalius eum accusat, in libro paulò antè citato, quia scilicet imaginatione fibras complecteretur, quæ sensui obuiæ non essent) sed si crudæ venæ corpus secundum ipsius longitudinem aliquousque laceraueris, cęcus eris ni fibras omnis generis mox cõspexeris. Etenim longę, siue rectæ, vtrinque in oris laceris manifestè apparent: & transuersę in fine lacerationis sese patefaciunt: obliquæ verò dum vena laceratur in conspectum veniunt. Non postulo vt mihi credas, Lector, rem ipse aggredere, & tuis oculis cerne naturæ textũ admirandum: quod melius adhuc cernes, si venæ alicuius amplæ partẽ acceperis, atque sectione per eius longitudinem ducta, membranam postea ipsam vehementer expansam & explicatam vtriusque manus digitis tenueris, solique, aut claro alioqui cęlo obiectã intuitus fueris. Quippe naturæ artificiũ spectatu dignum videbis: simul etiam intelliges Vesalium naturæ, circa venarũ fabricam, iniuriam fecisse maximã. Quid, quòd venæ dilatari possunt, non aliter ac è tela sacculi, quod nõ fieret, nisi è filis, vt tela, contextæ essent. Si enim venarum membrana cõtinuum corpus esset absque

Qua ratione fibræ in uenis sint inspiciendæ.

spatijs,

ſpatijs, dilatari ſine laceratione non poſſet: fac periculum in cartilagine, in vngue, in charta, in herbarum arborúmq; folijs, alijſq; rebus ſimilibus: nam dilatari hæc non poſſunt, ſed paulò vehementius diſtenta franguntur ac lacerantur. Tela autem quæuis & pannus facilè dilatantur tum in longum, tum in latum, tum in obliquum maximè: & hæc quidem facilius & magis, illa difficilius & minus, prout raræ aut denſæ texturæ fuerint. Atque hæc de fibris dixiſſe ſufficiat.

Veniamus nunc ad facultatem attractricem, quam venis à natura eſſe tributam, vt ſcilicet ſanguinem in ſeſe trahant rectarum fibrarum opera maximè, & per corpus vniuerſum diſpertiant, libro ſecundo ſatis clarè oſtendimus. Contradicit enim, & placitum hoc impugnat Gabriel Falloppius, vel potius Auerroes ille, in ſeptimum Phyſicorum Ariſtotelis, vt qui ſanguinem non à venis trahi, ſed inſita vi ad membra ſpontè accedere dicat: & ferrum quoque ſua ſponte ad magnetem moueri, non autem ab illo trahi. Sunt autem hæc Falloppij verba in anatomicis obſeruationibus vbi de fibris agit. Sed quoniam, inquit, ſeipſum mouet ad aliquem determinatum motum, aut ſcopum, ideò dicitur trahi ab illo: veluti ferrum trahi à magnete, & alimentum à membris ipſis dicitur: cum tamen reuera non attrahantur, neque vera ſit hæc attractio, ſed analoga, quia motus iſte localis non fit ab alio, ſed à vir- De ui attractrice.

tute intima, qua ferrum, vel alimentũ mouent se ipsa ad determinatum magnetem aut membrum: hæc ille. Vt de magnetis, siue, heraclij lapidis natura primum dicamus, manifestum omnino est Falloppium cum suo Auerroe omnibus tum philosophis, tum medicis priscis aduersari (Asclepiadem enim, etiam quæ sub sensum cadunt negantem, nihil moror) siquidem veterum probatissimorum quorumcunq; firma fuit consensio, heraclium istum lapidẽ occulta quadam vi, nobis videlicet incognita, eaq; mira, ferrum ad se allicere. Vnde Cicero in primo de Diuinatione: Vt si magnetem, inquit, lapidẽ esse dicam, qui ferrum ad se alliciat & trahat: rationem, cur id fiat, afferre nequeam, fieri omnino neges. Nolo hic veterum multorũ testimonia adducere, quia in re manifesta testibus opus nõ est: tantum respondemus, Fallopium temere fecisse, & Auerroem quoq;, quod sine demonstratione ulla veterum omnium sententiam conuellere ausi sint. Ferendum enim non est, vt sine rationibus iisq; bene firmis, peritissimis antiquis philosophis quispiam contradicat. Quanquam autem digni non sunt aduersarij, vt rationibus vllis cum ipsis agam, quando ipsi nihil præter nudam affirmationem, aut negationem, attulerunt, recitabo tamen quæ Plato, & Galenus noster habẽt, quia ex iis facilè intelligere licet, ferrum à magnete trahi, non autem sua sponte ad illum accedere. Plato in Ione scribit: Sed diuina

De ui magnetis lapidis contra Falloppiũ.

vis est

vis est, quę te mouet, sicut in lapide, quem magnetē Euripides nominauit, nonnulli heracliū vocant. Qui lapis non solū ferreos annulos trahit, sed vim etiā annulis ipsis infundit, qua hoc idem efficere possint, ac perinde vt lapis alios annulos trahere, &c. Galenus verò in 6, de loc. aff. cap. 5. Id quod in heraclio quoq; lapide, ait, videre est: ferrum enim, quod tetigerit, ei adhæret, vel nullo adhibito vinculo: deinde si aliud id, quod primò tactum fuerit, tetigerit, similiter vt primum illi inhęrebit: postea tertiū secundo, ita vt plane constet rebus quibusdam vehementissimas inesse vires. Sententia est Platonis, sed alijs verbis prolata. Et in primo de nat. facult. de magnetis attractione contra Asclepiadem scribens cap. 14. inquit: Vidimus ferreos stilos quinq; continenter sibi appensos, &c. Ex his intelligimus, quid magni illi viri de magnetis ui senserint: imò etiam rationem colligimus: ferri enim natura grauissima repugnat, quo minus ingenita vi sursum feratur, ac pendeat ex magnete sine vinculo. Quòd si sponte sua ferrū moueretur, magnum ipsius frustum ad paruulum magnetem accederet æquè ac ad magnū: at experientia contrariū monstrat: nam ad paruum magnetem ferri frustum magnum non accedit. Huius rei causa est parui magnetis uis impar multo ferro trahendo. Quòd si ferrū à magnete non trahi, sed spontè ad illum accurrere demonstrare quis possit (Auerroes enim id non fecit,

neq; Falloppius, quia ne potuit quidem) cum eo libenter sentiemus: quandiu verò id indemonstratum manet, veterum placitum ambabus vlnis nos amplecti profitemur.

Sanguis à venis & mẽbris qua ratione trahatur.

Porrò de sanguinis attractione pluribus agit Fallop. & nulla attractionis specie sanguinem à venis per fibras verè trahi dicit. Nos verò respondemus, attractionis speciẽ, qua sanguis à venis & mẽbris trahitur, eiusmodi esse, vt mouẽte immoto manente, motũ ad ipsum moueatur, nõ ex se, sed ab illo tractum: veluti de magnete & ferro diximus. Magnes dum trahit immotus manet, ferrũ mouetur: non tanquam motorẽ in se habeat, sed à magnete ad motum adductum: eodẽ itaq; modo venæ & membra immota manent ac quiescunt (loquor de locali motu) sanguis verò mouetur ad illa quiescendo agentia. Cum enim venæ in hepate, sanguinis officina, radicatæ sint, vimq; habeant singulæ ipsarũ partes, vt si ex transuerso secarẽtur, sumptæ, quam totæ venæ, radices ab hepate, ab ijs partes posteriores, à quibus aliæ & aliæ sanguinẽ alliciunt sugúntue, & membris distribuunt. Exemplũ attractionis huius habemus in accẽsis ellychnijs; etenim ignis, pabulũ poscentis, vis oleum, pinguitudinémue aliã, trahit. Ignis vi respondet vis insita mẽbris atq; venis, ellychnijs venarũ corpus, pinguitudini sanguis. Sed plurib. de his agere huius instituti non est. Cogitent interim Auerroes atq; Falloppius, quomodo quæ dicũt probaturi sint.

CAPVT

CAPVT V.

Vtrum natura in crisibus exeretiones bonas & vtiles semper faciat κατ' ἴξιν: & an illam imitari in venæ sectione debeamus, possimúsue, & in quibus, quomodo, & quando.

QVàm multas, & quàm graues contentiones pepererit Hippocraticũ hoc dictum, κατ' ἴξιν, præceptúmue de laterali dolore per venæ sectionem curando: partim ex ijs, quę nos supra primis duobus libris annotauimus, partim ex multorum aliorum medicorum scriptis, de vena in pleuritide, cęterisque internis inflammationibus, secanda editis, liquet. Nescio enim an vlla alia de re tanta contentione à nostri seculi medicis disputatum sit: cum alij hoc modo, alij alio lateris morbum & alias inflammationes curandas velint: & ἴξιν nunc secundum corporis longitudinem, nunc secundum latitudinem accipiant: sintque qui si à dolente latere deriuare oporteat, rectitudinem seruandam secundum longitudinem dicant, à dextro latere, ad dextrum cubitum: at si reuellere, transeundum esse ad oppositum latus. Duæ tamen sunt præcipuæ, & veriores de rectitudine Hippocratica sententiæ: quarum prior, rectitudinẽ membrorũ corporis, qua dextra dextris recta unt, & sinistra pariter sinistris, intelligendam

Pleuritidi curatio quã mult. contentiones peperit.

Rectitud ut sit intelligenda.

eſſe exiſtimat: altera verò non hanc, ſed rectitudinem ſolarum venarum, qua rami ipſarũ tum ſibi mutuò, tum magno venæ trunco, à quo oriuntur, recti ſunt, longarum fibrarũ continuo ductu, quo ſiniſtra dextris, & dextra ſiniſtris nonnunquã recta ſunt, ſibiq; mutuò reſpondent: nõ ſemper dextra dextris, ſiniſtra ſiniſtris: quod tamen & veteres, & è noſtris aliqui putaſſe videntur. Noſtram autẽ hac de re ſententiam tum in tertio libri primi capite, tum in quarto ſecundi perſpicuè diximus. Ac eos, qui τὸ κατ᾽ ἰθὺ, vel κατ᾽ ἴξιν, ab Hippocrate, atq; Galeno, de membrorũ rectitudine, quatenus dextra dextris recta ſunt, ſiue ſecundum rectitudinem poſita in corporis longitudine (ſic enim ſẽper Hippocrates & Galenus τὴν ἴξιν accipiunt, verba de venæ ſectione, & item de excretionibus, quas natura mouet, facientes) ſumptũ fuiſſe dicunt, rectè ſentire arbitramur. Eos quoq;, qui nõ illam rectitudinẽ, ſed eam, quæ ex venarũ ſerie & propagatione ſpectatur, in morbis curandis eſſe obſeruandã tradunt, artificioſè admodũ docere iudicamus. Vtroſq; igitur, dices, bonam tueri cauſam exiſtimas? Omnino quidem: ſed priores in eo errare puto, quòd Hippocratẽ atq; Galenũ ea in re ſibi per omnia imitandos cenſent: poſteriores autẽ rectè facere, dũ potiores rationes pluris, quàm authorũ illorum, alioqui illuſtriſsimorũ, authoritatem faciendam putant. Interim oſtendimus lib. 1. authores illos ſummos ab hac doctrina nõ abhorruiſſe,

ectitudinẽ
narũ quo
odo obſer
tiunt vete
s.

abhorruisse, siquidē venas, quę magis è directo
sunt, quæq́ consensum habent mutuū, secandas
pręcipiunt. An verò sic constanter senserint, sed
ob anatomes imperitiā factum sit, vt præcepta
deinde dissentanea traderent, id sanè in dubio à
nobis relictum est: quanquam manifestè videa-
mus, quòd cum partium rectitudinem seruari
voluerint, delectum etiam venarum in quoque
latere habuerint, vt quæ magis è directo sunt,
magisq́ coniunctæ, eas secandas docerēt. Qua-
re si aliqua in re peccarunt, anatomes ignora-
tione peccasse videri possunt. Res vna quasi mi
nima, quæ tamen etiam est maxima, magnam
huius controuersiæ totius partem creat; ea au-
tem est azygi venæ ortus, qui ad dexteriorē ca-
uæ venæ regionem pertinet. Etenim si vena
hæc (ἄζυγος est dicta, quòd altero ex latere alia Venæ sine
ei par et similis non oriatur) è media cauæ venæ pari ortus.
regione secundum ipsius latitudinem nascere-
tur: aut è caua vena, nulla alia vena media, ra-
mi vtrinque ad costas proferrentur, tum vena-
rum, et membrorum rectitudines conspirarent,
& in pleuritide dextra ex dextra axillari san-
guis mitteretur: in sinistra verò, è sinistra, citra
vllam controuersiam. Sed cum res de venæ azy
gi ortn (meritò enim natura hanc è dextro ca-
uæ latere produxit, cum in sinistro aliud ma-
gnum orificium fecerit, in dextrum cordis ven-
triculum sanguinem fundēs copiosum) déque
venis ad costas productis, aliter sese habeat, ne

cesse omnino est, sanguinis missionem in pleuritide etiam aliter facere, ratione & experientia suffragãte, quemadmodum suprà copiosè monstrauimus. Neque enim eos imitabimur, qui nimis multis disserunt de materia fluẽte, & fluxa: de excretoria facultate, de parte mandante, & de recipiente: de repletione, de diuersione ad remota, ad cõtraria: de deriuatione ad latus, ad vicina: deq; multis alijs, omittentes interim quod præcipuũ est, & vnicè inspiciendum, venarũ scilicet seriẽ, & distributionẽ omnẽ, è qua certissimam, facillimã, atq; cõpendiariam ex omnibus ijs difficultatibus emergendi rationẽ inuenirẽt.

Quid unicè spectandum de uenæ sectione disserentibus.

Petrus Brissotus, medicus clarissimus, venarum quidem rectitudinem, hoc est, connexionem, & coniunctionem obseruandam esse in venarũ sectionibus tradit, ac nonnulla bellè demõstrat, sed principia sibi fingit, & ponit, quæ reuera falsa sunt, quanquam veris ita similia, vt ex ipsis aliquid verè demonstrari possit. In causa tamen fuerunt, vt de missione sanguinis in sinistra pleuritide facienda non rectè senserit. Putauit ille costarum venas non ab azygo (hanc enim ignorauit, vt ex eius verbis mox cognosces, & præterea nunquam nominauit) sed à caua vena vtrinque deriuari (quod figura ab illo ascripta monstrare videtur) dextras à dextro illius latere, sinistras à sinistro: aut vtrinque venam vnam produci, quæ in multos ramos diuisa costas inferiores alat, dextra quidem dextras,

Petri Brissoti de costarum uenis opinio.

tras, finiſtra verò finiſtras: quemadmodum videmus produci ramos ad ſuperiores coſtas tres, tam ſiniſtras, quàm dextras, à venis ad initium axillarium in iugulo poſitis. Quæ licet falſa ſint, ex tali tamen poſitione, vt ex altera, quæ vera eſt, non eſſe maiorem diſtantiam à puncto aliquo coſtæ alicuius ſiniſtræ, ad cubitum dextrum, quàm ab eodem puncto, ad ſiniſtrum cubitum: & vice verſa, à puncto dextræ coſtæ ad ſiniſtrum cubitum, quàm ad dextrum, manifeſtè oſtenditur. Vndecunque enim oriantur, ſimili ratione diſtributæ ponuntur. Et ortus ſiue vnus ſit, vt eſt, ſiue duplex, à caua omnino eſt, ad quam ſanguis omnis à coſtis remeans perueniat neceſſe eſt. Quòd verò ad venarum rectitudinem attinet, non eadem ex vtraque hypotheſi demonſtrari poteſt. Nam ſi ex ipſa vena caua, aut ex venis vtrinque ab illa productis coſtæ inferiores ramis ſuſceptis nutrirentur, tum dextræ cum dextro cubito, dextráue axillari, ſiniſtræ cum ſiniſtra rectitudinem haberent, quemadmodum paulò antè diximus. At cum ab azygo omnes nutriantur, ramis ab illa ſuſceptis, tam ſiniſtræ, quàm dextræ coſtarum inferiorum venæ cum dextro cubito conſentiunt omnes, cum ſiniſtro nullæ.


Cæterùm Briſſotus obſcurè nimium de coſtas nutriētibus venis ſcripſit, ita vt facile nō ſit intelligere qualem venarum iſtarum diſtributionem ſibi finixerit: finxerit dico, quia mani-

Petrus Brissotus obscurè admodum de uena sine pari scripsit

festè apparet illum ex anatome id non habere, quãuis in ea exercitatus videri voluerit. Initio enim libri sui de vena in pleuritide secanda ait: Dicito, si es exercitat⁹ in corporũ dissectionib⁹: latere dextro phlegmonẽ patiẽte, quæ distãtia maior est, vel ad cubitum dextrum, vel ad sinistrũ: certè par. Nã cum vena caua vna sit ac simplex per totum thoracem, hoc est, à collo ad crura, ab hac tanquam à caudice, aliæ velut rami oriuntur. Diuaricatur autem infernè quidem in duas vtriusque cruris grandes venas: supernè verò in eas, quæ ad vtrunque cubitum perueniunt: pars etiam ad caput. Sed ab ipsa vena caua, dum simplex est, oritur vtraque vena, quæ costas nutrit: nam quæ nutrit costas inferiores, infra cor oritur. Quæ verò alit quatuor costas superiores, supra cor, & paulò ante diuisionem venæ cauæ, vt apertè videtur in dissectionibus, & Galenus explicat, &c. Ad finem autem libri scribit: Constat autem non solùm origines venarum dextrarum, videlicet internæ, & costarum, hoc oblongo stamine cõnecti, sed idem stamen à pleuritide ad internam in cubito venam sine interruptione deuenire. Ergo pro quantitate distantiæ maximè opponuntur, & earum venarum ora, & pleuritis dextra internæ in cubito venæ, quoniam rectitudo integerrima est. Item quia è directo vtriusq; costarum venæ, dextræ scilicet, & sinistræ, transuersa venæ cauæ filamenta (quamuis expulsioni ipsius cauæ deputa-

ta) non

ta)non integros circulos abſoluunt, & os vnius coſtarum venæ, ori alterius connectunt: & in continuum ac directum oblongi vtriuſq; ſtaminis iacent, ſecundario quodam attractionis munere funguntur. Ergo vt earum ora opponuntur, ſúntq; è directo, & pleuritis dextra conſimili parti in latere ſiniſtro minus tamen propriè, quàm internæ dextri cubiti venæ. Eadem ratione quia nulla longitudinis filamenta perueniunt à dextra venarum coſta (fortè legendum, coſtarum vena, ad internam in ſiniſtro cubito venam: neq; pleuritis dextra internæ ſiniſtri cubiti venæ. Ab altera enim ad alterã attractio vel non continua, vel non expeditè fiet. hæc ille. In priori quidem ſermone azygon ponere videtur, quanquã infra cor, ſicut et Galenus: in altero autem, qui ſatis obſcurus eſt, par vnum venarum è caua productarum facit, meo quidem iudicio, alioqui minimè rectè ratiocinaretur, quia pleuritis in ſuperiobus coſtis non fit) à quibus inferiores coſtæ nutrian-



tur, dextræ à dextra, ſiniſtræ à ſiniſtra, vt in hac rudi figura patet. Eſt enī a b, vena caua per thoracem repens, c d, vena dextra, ramos dextris porrigens coſtis: e f, vena ſiniſtra, ſiniſtras nutriens coſtas. Si hoc modo reuera venæ eſſent diſtributæ, rectitudo membrorum, & rectitudo venarum conſentirent, & in pleuritide axillaris è directo reſpondens ſecanda eſſet, prout Hippocrates & Galenus tradunt. At venæ non ſic diſtributæ ſunt, ideóq; rectitudines ſecum ipſæ pugnant. Quocirca eã rectitudinẽ, quam venæ monſtrant, non vllã aliam eſſe ſpectandam docuimus: ac proinde in omni pleuritide axillarem dextram eſſe ſecandam. Sed & quæſtionem hanc, & Briſſotum quoq; nunc mittamus, & ad euacuationes, quæ à natura in morbis fiunt, veniamus, de his enim aliqua dicere propoſuimus. Quę autẽ hactenus dicta ſunt, ab hoc inſtituto nequaquã aliena exiſtimauimus.

Pręcipit Galenus multis in locis, vt naturam bene operantem imitęmur: ac quoniam illa expulſiones κατ' ἴξιν facere ſolet, quando rectè & vtiliter operatur, iccirco & nos, qui ſumus illius miniſtri, ſimiliter facere debere tradit. Ex quibus conficit, vt ſi ſanguinẽ detracturi ſimus, in dextrarũ partium morbis, è venis dextris, in ſiniſtrarum è ſiniſtris, auferamus. Præceptum hoc ſimpliciter admittere non poſſumus, ſed eatenus duntaxat, quatenus membrorum rectitudo cũ rectitudine venarũ cõſpirat, vt in dextra pleuritide. Axillaris enim dextra lateris recti

Natura ut ſit imitanda, aut non imitanda.

tudine illi respondet: & præterea recta coniun-ctáque est rectisſimo ſtaminum ductu cum orifi-cio venæ azygi, cuius rami ad affectum locum perueniũt. Similiter in ſanguinis è naribus pro fluuio, & oculorum, auriumque morbis aliisque ſi-milibus. Eiuſdẽ enim lateris humeraria vena v-troque modo recta eſt. Si verò indicationes recti tudinum pugnent, contrariæque ſint, vt in ſiniſtra pleuritide (ibi enim axillaris ſiniſtra ſecundũ re ctitudinem lateris recta eſt, non tamen ſecundũ rectitudinem venarum) & dextris pulmonis lo bis laborantibus, & ſplene quoque affecto, tũ ve-narum rectitudinẽ in curando nobis proponen dam, non aliam illã, dicimus, cum & humores, qui in venis ſunt, non alios, & per venas ipſas, nõ per alia corpora, venæ ſectione trahamus. At natura, inquies, in ſiniſtrarũ partiũ morbis per ſiniſtra expellit, dextrarũ autẽ per dextra. Eſt hic in primis obſeruandũ, quòd cùm multa ſint euacuationũ genera, quibus natura morbis iam ſuperatis in criſibus corpora expurgat, in vno ſolo (omitto iã abſceſſus, quos illa ſępe fa cit, humoribus noxiis aliquò detruſis, ſed nõ ex pulſis) rectitudinem dextri et ſiniſtri ſeruare po teſt, nempe in ſanguinis è naribus profuſione, quam Galenus ſæpe pro exemplo adducit, ali-am non habens ſimilem euacuationem. Præ-ter hãc enim, ſunt iſtæ aliæ euacuationũ ſpecies decãtatę, ſudores, vomitiones, ſputa, deiectio-nes alui, vrinę, mẽſes, et hęmorrhoides. Sed neque in ſudorib⁹, neque in vomitionibus neque in ſputis

Excretiones quæ fiunt à natura.

neq; in deiectionibus alui, neq; in vrinis, neque in mensibus, neq; hæmorrhoidibus, locum habet rectitudo dextri & sinistri. Quippe si hepar laboret, & natura crisim faciat per sudores, tam per sinistra, quàm per dextra facit: si deijciat per aluum, non nisi vnam viam mediam habet, per quam superflua mittat: sic & si per superiorem ventrē, hoc est, per vomitiones expurget. Si per vias vrinæ, licet duo sint vretheres, ad vnam tamen vesicam veniunt, & inde per vnum eundémq; meatum vrinæ profluunt. Si per menses, aut hæmorrhoidas, eadem ratio est. Iccirco Galenus secundo commentario in sextum Hippocratis librum de morbis popularibus scribit: Quærere nanq; videtur Hippocrates, vtrum quæ infra iecur ex superioribus deriuantur, vt in testes, & varices, è regione fieri melius sit: aut, licet non è regione fiant, superiorum tamen partium vitijs æquè auxiliari queant? In nonnullis planè neq; an è regione facta sint, dignosci potest: vt quòd varices è regione facto abscessu furorem curauerint. Neq; enim perspicere licet, vtrum in dextris cerebri partibus, an in sinistris affectu oborto in furorem acti fuerint. Quemadmodum neq; si diutius tussientibus sine costarum dolore, abscessus in testiculū fiat. Atqui forsan & in his loci rectitudo seruatur, etsi vtra pulmonis, aut cerebri pars affecta sit, haud certò sciamus. Quin & atram bilem sanguiflua, quæ dicitur, affectio plerumq;

Non in omnibus excretionibus dextrum & sinistrum poni posse.

Ignorare nos sæpe an excretiones secundum rectum fiant

sanare

ſanare poteſt, neq; tunc nobis loci paſsi rectitudinem cognoſcentibus. Sanguinis quoq; ex vtero copioſum profluuiũ multos curare morbos omnibus in aperto eſt: ſed neque hic an ex dextris vteri venis, an ex ſiniſtris, an ex vtriſq; excretio facta ſit agnoſcere poſſumus, hæc Galenus. Duo ſunt circa hæc ignorationis modi, vterq; autem ex ipſis Galeni verbis apertè ſumitur. Vnus eſt, quando morbi eius generis ſunt, vt corpus vniuerſum occupent: (cuiuſmodi febres ſunt) aut partem vnam quidem, ſed quæ ſit in corpore vnica ſimplexue, non duplicata, & præterea mediam corporis regionẽ ſecundum eius latitudinẽ teneat, vt eſt cerebrum, pulmo, ventriculus, vterus, veſica. Si enim laborantibus his membris excretio aliqua fiat, vel ad dextra, vel ad ſiniſtra, an ſecundum rectũ fiat, ſcire non poſſumus, niſi è manifeſtis aliquibus ſignis & indicijs conſtet, dexteriorem, aut ſiniſteriorẽ dictorum membrorum partem magis affici. In febribus verò cum ſimiliter corpus vniuerſum laboret, ſi qua excretio fiat, ad rectitudinis normam expendi nõ poteſt. Alter modus eſt, quando membra patientia dextrum aut ſiniſtrum latus manifeſtè occupant (vt quæ ſunt gemina, exempli gratia, oculi, aures, renes, teſtes: aut non gemina, ſed in latere alterutro poſita, vt hepar in dextro, lien in ſiniſtro) ſed excretiones per eas fiunt vias, quæ vnicę ſunt, & per mediũ corpus feruntur, vt eſt aſpera arteria, œſopha-

Ignorationis modi duo circa rectitudinẽ dextri & ſiniſtri.

gus, rectum intestinum, vesicæ, & pudendorum meatus. In priore modo excretiones certę sunt, dextræ vel sinistræ, (si vel sanguis ex alterutra nare fluat, vel abscessus in dextris vel sinistris fiat) sed patientium membrorũ partes incertæ: vt in furore, vertigine, lethargo, phrenitide, tussi: item in ventriculi, vteri, vesicæq; morbis. In posteriore verò, certa quidem & cognita patientia membra, at excretiones incertę, per dextras ne, an per sinistras partes fiant, si vel sputa, vel vomitiones, vel alui deiectiones, vel vrinę, vel menses superueniant. Porrò tertium etiam ignorationis modum addere licet, è prioris membro priore, & posterioris posteriore conflatum: quando videlicet nec in patientibus membris, nec in excretionibus ipsis dextrum aut sinistrum certò monstrare possumus: vt in melancholia, & furore, si vel hæmorrhoides, vel menses profluant: in lethargo, & phrenitide, si vel per deiectiones, vel per vrinas iudicatio fiat. Hepate ergo laborante (vt ad ipsum rursus redeamus) si natura per iam dictas vias expurget, siue per commemoratas euacuationum species noxios extrudat humores, dextrum, aut sinistrum ibi ponere non licet: neq; natura in illis rectitudinem seruare potest, quæ nobis certò cognita sit. At si per sanguinem è naribus profusum purgare instituat, tum rectitudinem partium seruare potest, sanguinem fundendo per narem dextram: sicut laborante liene (qui

Ignorationis modus tertius.

Excretionis genus vnum tantùm esse, in quo rectitudo à natura seruari possit manifestè.

tamen

tamen non habet similem cum naribus consensum, vt hepar) per sinistram. In febribus autem potest vel per vtranque, vel per sibi commodiorem. Vnicum igitur expulsionum genus est, quo natura dextrum & sinistrum manifestè nobis ob oculos ponat. Sed de hoc, multa habeo quæ dicam. Primùm quidem, si quis, sectis non addictus, in quotidianis curationibus obseruet, non raro vtiliter sanguinem è dextra nare promanare sinistris laborantibus membris, putà splene, videbit: & contrà, è sinistra laborantibus dextris, vt hepate: atque ideo perpetuum non esse, quod Galenus dicit de sanguinis secundum rectum eruptione. Idem intelligas & de abscessibus, aliisque expulsionibus, in partium earum morbis, in quibus dextri & sinistri ratio haberi potest. Præter enim decantatas illas excretiones, de quibus diximus, quæ sæpissimè accidunt, aliæ quædam rarius contingentes recenseri possunt, vt si in capitis morbis per aures, vel per oculos, quæ lædunt effluant: è dextris, capitis parte dextra patiente, è sinistris, patiente sinistra, (vt in hemicraniis) interdum verò è contrario. Ac ne putes vanum esse quod dico, rectitudinem nonnunquam cum vtilitate à natura relinqui: aut olim non accidisse, quod hodie accidit, inspice ægrotum apud Hippocratem in tertio Epidemiorum, decumbentem in Dealcis horto: nam de illo sic memoriæ prodidit Hippocrates.

Sanguinem de naribus sæpe cõtra rectitudinẽ utiliter fluere.

Exemplum excretionis, & abscessus boni contra rectitudinem facti.

Qui in Dealcis decumbebat horto, diu capitis conflictabatur grauitate, atque dextrum dolebat tempus, ex occasione febri est correptus, decubuit. Secundo die modicum meri sanguinis de sinistro manabat. Aluus stercora recte deiecit: vrinę tenues, cum aliis atque aliis suspensionibus minutim dispersis, perinde ac farina crassiore semen referente. Tertio die febris acuta, deiectiones nigræ, tenues, spumosæ: quæ in retrimentis subsidebant, liuida erãt: nonnihil veterno tentabatur, ægre desurgebat: in vrinis quod residebat, liuidum erat, viscosiúsque. Quarto vomuit biliosa, flaua, pauca: postea virulenta: de sinistro aliquantũ fluxit meri sanguinis: aluus eadem, & item vrinę quoque, sudauit circa caput, & clauiculam, lien intumuit, femur subiectum doluit, præcordia dextra molliuscule contendebantur, nocte non dormiuit, delirauit aliquantulum, &c. Hic Galenus subiicit: sunt & hæc mala omnia symptomata, quæ cõmemorauit, præter abscessum, qui in lienem & sinistrum femur fieri videbatur. Hic ægrotus cum diu doluisset dextrã capitis partem, dextrúmue tempus, sanguinem fudit secundo & quarto diebus per sinistram narẽ, licet non fuerit decretorius. Deinde cum morbus ad abscessum tenderet, humorum decubitus nõ in dextra factus est, sed in sinistra, lienem videlicet, femúrque sinistrum, dextris prę cordiis melius habentibus. Quo sane in casu rectitudo seruata nõ est, nec in sanguinis eruptione, nec

ne, nec in abſceſſu, ægrotus tamē die quadrageſimo fuit liberatus: & Galenus abſceſſum hunc laudat, cum tamen videat non eſſe ſecundum rectum: ideo enim de ſanguine ſcribit, quòd non fluxerit è directo laborantis temporis. Hinc eſt illa dubitatio Hippocratis, & Galeni quoque, commentario ſecundo in ſextum de vulgaribus morbis, loco paulò antè citato, vbi Hippocrates ait: Vtrum igitur omniū, aut alia quidem ab inferis ſurſum, qualia quæ iuxta maxillas, aut etiam oculum, aut etiam aurem: alia verò à ſuperis deorſum, nō ſecundum rectum. Atqui, & in angina rubores, & coſtarum dolores ſecundum rectum. In quorum enarratione Galenus ſcribit: In ſecundo de morbis popularibus non eſt adiecta ea pars ſermonis, in qua dubitat, vtrum ex inferioribus in ſuperiora abſceſſu facto ſemper mēbri rectitudo vtiliter ſeruetur. Ignotum verò eſt, vtrū ſecundi de popularibus morbis libri ſententiæ prius, an iſtæ ſcriptę fuerint: atq; ideo, ſi quæ in ſecundo libro continentur, prius, ea quę in ſexto, poſterius ſcripta ſunt, Hippocratem par eſt, cum poſtea abſceſſum in inferiora non è regione vtiliter factum vidiſſet (quemadmodum accidit in eo, qui in Dealcis horto decumbebat, vt vidimus) ita præſentem ſententiam conſcripſiſſe. Sin autem hoc loco dubitans, poſterius ea, de quibus dubitauit, dijudicans conſtanter in ſecundo de morbis populari bus libro ſententiam tulit, illis potius creden-

Hippocratis & Galeni dubitatio de excretionibus quæ à natura fiunt.

dum est. Vt dubitationē Hippocratis, quę valde obscura est, missam faciamus, si Galen⁹ ipse, qui medicinā longo tempore fecit, obseruasset, excretiones eas, quæ è regione laborantiū partiū non fiunt, nunquā vtiles esse, palàm hic pronunciasset (præcipuè cum librum hunc sextū non totum ab Hippocrate, sed partem aliquā ab eius etiā filio Thessalo ad editionē fuisse elaboratā dicat) dubitationem hanc authoris huius sic esse definiendā, vt excretiones vtiles eas solas dicamus, quæ è regione, siue κατ' ἶξιν fiunt: alijs, quæ è regione non fiunt, perniciē potius, quàm salutem afferentibus. Verùm cū ipse quoque hæsitet, ac dubitet, clarum vtique est, res aliter, atque aliter euenire posse. Equidem dum hæc pararē, pleuriticum curaui, qui dextras costas cum doleret, septimo die sanguinem ter fudit è sinistra nare, & sequentibus diebus similiter, & iudicatus est.

Naturam non semper rectitudinē sequi.

Si ergo natura non semper rectitudinem illam sequitur, quare nos semper sequeremur in venæ sectione, cum pręter experientiam, opera nostra comprobantem, rationem quoque habeamus longè euidentissimam? Dicit idem Galenus, sanguinis missionē in pleuritide ex opposito cubito factam, vel nullam, vel certè tardā vtilitatem afferre: nos verò pleuriticos sanauimus quamplures sanguine semper è dextra axillari emisso, quocunque in latere inflammatio cōstitisset, ac quacunque in ætate sua fuisset, principio scilicet, vel augmento. Pugnat igitur veterum

terum experientia cum nostra? Non pugnant simpliciter, nam euentus varij sunt: & dextris laborantibus costis vtriq; exiguã & tardam vtilitatem afferet venæ sectio in sinistra axillari facta. Hac enim in re Galeno planè assentimur. Et fieri quidem potuit, vt cum Galenus pleuriticis, qui dextro laborarent latere, axillarem sinistram sine vtilitate secari sæpe viderit, ad id scribendum compulsus sit. Idem etiam eueniet, si laborante iecore eandem sinistram axillarem aperire quis voluerit. Porrò quod de pleuriticis dixi, me scilicet multos, imò plurimos sanasse & citò, & perfectè, sectione dextri cubiti, etiã de spleniticis intelligas velim, nã quotquot curandos suscepi, eos ex dextro cubito euacuaui, & quartanarios similiter: quanquam quartanarij feliciter etiam curari possint axillaris sinistræ sectione, quando nullus est in splene manifestus affectus, quia febrilem calorem in corde primò & maximè accensum, illinc vacuando, restinguit: quod supra lib. 1. in tertia curandæ plenitudinis regula considerandum proposui. Magis enim è directo est axillaris dextra sinistrę pleuritidi, & spleni quoq; (vt aliâs diximus, & dicemus adhuc) quàm sinistra. Eas autẽ, quæ magis rectæ sunt, magísq; coniunctæ, secandas esse, veteres ipsi Hippocrat. & Galenus tradiderunt. Quod igitur facimus, medicinæ principũ præcepto facimus: præcepto, inquã, quod optima ratione nititur: quia trahens expeditius per

Quomodo ueteres sententiam nostram probent.

viã rectam & proximã, quàm per obliquam & remotiorẽ, trahit. Cur ergo malè faceremus? Malè faciunt, qui nec rationem, nec probatissimorum authorum sententiam sequuntur: nos autem & rationem, & illustrium scriptorum doctrinam, adde, & experientiam ipsam, sequimur. Sanè quemadmodum Galenus in secundo de ratione victus in morbis acutis, partes, quæ supra clauiculas sunt, sectione exterioris in brachio venæ, quàm vllius alterius, iuuari magis scribit, quòd è directo magis sit: ita & nos interiorem dextri cubiti, in sinistra pleuritide, potius, quàm sinistri, aperiendam censemus. Sed ad sanguinis per nares eruptionem redire conuenit.

Sanguis è naribus fluens non certò ostendit qua iugulari uena fluat.

His, quæ exposuimus (naturã rectitudinem non semper obseruare docentes) adijciendum nunc est, quòd etiã si sanguis fluat per dextram narem dextris laborantibus partibus, & per sinistram, laborantibus sinistris, sicq; ægroti à morbis liberentur: non tamen certò nobis constet per quam iugularem venam in narem perueniat. Sed faciamus naturam expulsiones suas secundum rectum semper tentare: & laborantibus dextris sanguinem per iugularem dextram mitti in dextram narem, sinistris autem, per sinistram iugularẽ in sinistram narem: ipsa quidem natura sanguinem in iugulares venas, narésque, non modò per vasa, sed etiam per cutim & musculos, pérque vias nobis incognitas

(cum

(cum omnia sint σύμπνοα, καὶ σύῤῥοια, καὶ συμπαθέα) trudere potest, nos autem id imitari nequimus, qui sanguinem per vasa solùm trahimus. Nec dum sanguinem mittimus, tam citò per alia corpora penetrare potest, vt ad sectionis locum in tempore veniat: nam per venas currit celerrimè. Fit ergo, vt naturam, etsi velimus, imitari tamen quandoque non possimus. Videmus illam interdum in thoracis vitijs per vias vrinæ expurgare, cum tamen manifestus meatus nullus sit à thorace ad renes, aut vesicam. Imò noui aliquem, cui cum rupta esset in thorace vena, & multus sanguis in cauitate collectus, sanguine copioso per aluum emisso, à pondere, quod in thorace erat, à spirandi difficultate, à tussi liberatus est. Quò itaque natura mittat, videmus, per quas verò vias, non videmus. Sic laborante splene, si per sinistram narem sanguinem fundat, nescimus sanè per quas vias mittat. Nam si per portam, & cauam venam miserit, hoc est, per vasa, quia per hepar transeundum est, & huic iugularis dextra magis recta est, quàm sinistra, ad narem potius dextram, quàm sinistrã venire debet. Vt id etiam addam, naturam hîc nõ seruare τὸ κατ' ἴξιν, quatenus à sinistris ad dextra mittit, à splene ad hepar. Verũ potest & per alias vias mittere. Nos verò cum non nisi per venas trahamus, eas secare debemus, quæ & viciniores, & rectiores, & cum patientibus locis magis coniunctę sunt. Si enim aliter fecerimus,

Naturam ubi imitai nequeamu

Naturæ o peribus se positis qui inspicere debeamus uenæ secti nem factur

facile id eueniet, quod Galenus in libro de palpitatione, & tremore scribit, vt locum affectum non sanemus, sanum verò lædamus.

De meatibus occultis disputatio contra Trincauellium.

Cæterùm necesse hîc est, vt de occultis meatibus, quorum meminimus, aliquid dicamus, cũ suprà libro secundo leuiter rem hanc attigerimus (vbi humores non solùm per vasa, sed per cutim & musculos ferri diximus: & Victoris Trincauell. medici Veneti doctissimi, meatus illos ad venæ sectionẽ quoq; pertinere dicentis: simul etiam Stephani scriptoris Græci, medici & philosophi Athen. à Trincauellio, quanquã perperam, citati, mentionem fecimus) & vt rem vanam prorsus contempserimus. Video enim etiã alios, meatibus his aliquid in venę sectione tribuentes. Sed quid Trincauell. scribat in primis videamus. In lib. de secanda vena in pleuritide (in quo contra manifesta testimonia, luculẽtásq; rationes, reuulsionem eo in morbo ex cubito opposito, aut ex pede, qui è regione sit, faciendam esse persuadere nititur: cum siue deriuare, siue reuellere oportet, à cõiunctis venis esse vacuandũ veteres docuerĩt, & sinistra axillaris, venáq; pedis cũ azygo coniunctæ nõ sint) contra Petrum Briss. sic ait: Neq; ea ratio videtur admodum efficax, quæ ex venarũ mensu deprompta est. Quoniam etsi ad venas respicienti videatur æqualis intercapedo, attamen nõ solùm per venas ipsas, dum sanguis mittitur, aut medicamentis corpus purgatur, mouentur succi, sed

Trincauellij erronea sententia de vena in pleuritide secanda.

per

per membrorũ occultos meatus quantumcunq; illos videatur negasse Briss. quos tamen Hippocrates admisit, cum ait in corpore omnia esse σύμπνοα, σύῤῥοια, καὶ συμπαθέα, & mox. Imò hoc dixerim, quòd Stephanus Græcus author in commẽtarijs, in lib. Galeni ad Glauconẽ, dum quęrit cur vena sinistri cubiti magis confert inflammationibus lienis, si secetur, quàm iocinoris, cum tamen sit iecori vicinior & affinior, ait: quòd secta vena, non modò per venas fit attractio sanguinis, sed per meatus etiam illos: & hæc ratio est, cur dextra dextris, & sinistra sinistris sibi inuicem magis consentiant quod ab Hippocrate videtur depromptum, &c.

Primùm respondemus Trincauellio, meatus illos in animalium corporibus, imò in stirpibus quoque, nos non modò non negare, sed etiam stultos eos reputare, qui negare ausi fuerint. Fatemur præterea, omnia in corporibus esse σύμπνοα, καὶ σύῤῥοια, καὶ συμπαθέα, sicut Hippocrates in libro de alimento tradit (& Galenus in libro de vsu pulsuum & alibi confirmat) inquiens: ξύῤῥοια μία, ξύμπνοια μία, ξυμπαθέα πάντα: sed dum sanguis, secta à nobis vena, vacuatur, cum aliunde, quàm per uenas, à locis affectis, ad sectionis locum venire, & inde vacuari, hoc verò est, quòd apertè constantérque pernegamus: neque ex ijs, quæ Stephanus Atheniẽsis habet (vt dicem⁹) neq; ex Hippocratis scriptis, tale quid effici posse arbitramur. Nam

Meatus occultos non modò in animalibus, sed etiam in stirpibus esse.

Meatus occultos in venæ sectione nullius esse contemplationis.

vt argumenta cætera, quæ valdę multa proferre possem, omittam, illud vnum mihi sufficit, Hippocratem & Galenum venæ sectionem facturos, venas, earúmq; coniunctionem, vicinitatem, rectitudinémq;, non occultos meatus illos spectasse, tam esse certum, quàm quod certissimum. Quod ad purgationem attinet, in qua longè maior est mora, facilius cōcederem pharmacorum vi & potentia humores in ventrem et aluum non solùm per venas, sed per occultos meatus attrahi: quanquam animaduertam Galenum id vnicè præcipere, vt, si hepar phlegmone laboret, pharmacum purgans, initio præsertim morbi, ne detur, quia per venas vitiosorum humorum colluuies ad affectum locum trahatur. Sic enim libro 13. methodi medendi scribit: Quā rem (purgationem scilicet) si quis facere in iocinore, cum phlegmone laborare cepit, tentet, maximam excitabit phlegmonen. Hinc enim discere licet, pharmaca per venas magis, quàm per alios meatus, humores ducere. Accedit ad hoc, quòd vbi purgationem à venæ sectione distinguit, illam vitiosos, qui scilicet cum sanguine per corpus feruntur, succos trahere: hanc autem sine discrimine omnes euacuare dicit. An verò ij solùm, qui in venis sunt, mali succi, an etiam qui extra venas per corpus dispersi, medicamentorum vi trahantur: & si tam isti, quàm illi trahuntur, vtrum per meatus alios, an per venas solas, præsentis loci &

Purgans pharmacū an per occultos meatus humores ducat.

instituti

institutinon est quærere aut definire. De venæ sectione autem affirmare non dubitarim, aliquid sanguinis eius, qui extra vasa sit, ad sectū locum trahi, non quidem per meatus occultos, sed per venas ipsas, in quas refluat, & cum reliquo sanguine, quò fluit rapiatur, vbi vel larga sanguinis fit detractio, vel sectus locus à patiente membro non multum remotus est. Quin etiam succos moueri, dum sanguis mittitur, nō per venas modò, sed per reliqua corpora, ijs, quæ nos alibi docuimus, omnino consentaneum est: hinc tamen non efficitur, eosdem per sectam venam euacuari, illuc confluentes per occultos membrorum meatus.

Trincauellium Stephani Atheniensis testimonio abusum fuisse.

Ad ea nunc, quæ Stephanus iste affert, accedamus, è quibus, vel nobis tacentibus, illud ante omnia constabit, Trincauellium scriptoris huius testimonio abusum, cum de venæ sectione Stephanus eo loco ne verbum quidem fecerit, nec sanguinem per occultos meatus ferri dixerit: nisi fortè Trincauellius ex commentarijs eiusdem scriptoris in librum secundum ad Glauconem id habeat (nescio tamen an Stephanus in secundum commentarios scripserit, sicut in primum: & si scripsit, extēt, nec ne) cum in verbis paulò antè citatis, libri numerum nō apposuerit. Quæ enim adducemus, ea in caput 13. primi libri Galeni ad Glauconem sunt annotata. Siue verò hinc habeat, colligátue Trincauellius, siue aliunde, recipienda non esse iudica

mus. Cùm libros de venæ sectione ederem, anno Domini M.D.LXX. Stephani librum nondum videram: putabam autem Trincauellium authoris illius testimonio rectè vsũ: ideóq; vnà vtrunq; reieci, quia talis sententia placere non poterat. Sed iam videbimus Stephanum Trincauellio non fauere, licet ea in medium afferat, quæ fabulosa omnino videantur. Commentario 181. in primum ad Glauconem, Gedaldino Mutinensi interprete, sic scribit: Quęrendum est cur cùm sanguis à dextra, vel à sinistra nare fertur, eum, qui ex dextra fluit, iecoris esse dicamus, eum verò, qui ex sinistra, lienis. Omnes enim venæ sanguinem portantes à iecore feruntur. Neq; enim (vt quidem arbitrabantur) ex cerebro duæ venæ deferuntur: hoc enim ex anatome redarguitur. Quomodo ergo dicimus secundum rectitudinem sanguinem ferri, vel secundum processionẽ (hoc est, κατ' ἴξιν) vt ait Hippocrates? neq; enim conspicimus ex ipso iecore venam secundũ rectitudinem ferri ad dextram narem, sed propagines quædam sunt, quarum vnaquæque particula in dextro latere fruitur: Hoc igitur soluemus in hunc sanè modum, sciendum est, ex tribus quibusdam nostrum corpus, vt sæpius diximus, constare, solidis, inquã, humidis, & spiritibus: atq; his assumptis naturam totum corpus composuisse, ipsúmq; bipertitò secuisse, veluti quadam linea duas ipsius partes distinguente, quæ sanè in labro, & sterno, id

Stephani Atheniensis sententia de excretionibus secundum rectitũ actis.

no, id eſt, oſſe pectorali apparet Hoc autem fecit natura, ne dum vna pars eſt affecta, totũ corpus ſimul afficiatur: ac ex vnius partis actione læſa, totius corporis actio læderetur. Enimuerò in ſemipercuſsis hoc fieri videmus: nam ſiniſtris ſæpenumero partibus reſolutis, dextræ ſanæ ſunt, vel è cõtra. Tria igitur hæc, dico ſanè ſolida, humida, atq; ſpiritus, inter ſe mutuò afficiuntur, atq; vno moto, reliqua etiam vnà mouẽtur. Et hoc eſt, quod Hippocrates dicebat: Conſpiratio vna, & confluxio vna, & omnia ſympathea: Conſpirationem quidem in ſpiritibus, confluxionem verò in humoribus, ſympathea autem in ſolidis accipiens. Et conſpirationem vnam, confluxionémq; vnã dextrorũ ad dextra, ſiniſtrorum ad ſiniſtra. Quoniam igitur didicimus in noſtro corpore eſſe ſpiritum, ſcire etiam oportet quemadmodũ in omni particula corporis eſt, nulláq; eſt, quæ huius ſpiritus nõ ſit particeps: ſed & per carnem, & per os permeat, tenuiſsimarum enim partium eſt, ita vt ipſi nihil ſit inuiũ. Per omnia igitur permeãs, continuus ſibi ipſi eſt, qui quidem in dextra parte eſt, ei, qui eſt in dextra, qui verò in ſiniſtra, ei, qui in ſiniſtra. Si ergo in liene quædam affectio exiſtat, facultas, quæ in ipſo eſt excretoria, inſurgit vt noxium expellat. Cogitur itaque in ſeipſum lien, ac veluti contrahitur (hæc enim eſt excretoriæ facultatis actio) & dum cogitur, mouetur: dúmque mouetur, vnà cum ipſo ſpiritus

etiam mouetur (quippe qui tenuium partium sit) superioremque lationem expetit, atque insequitur: ac tum per vasa, tum per occultos meatus proficiscitur, dúmque ipse peruadit, vias dilatat. Postea dum est circa sinistras cerebri partes, sinistram narem raram, & laxiorem facit, ac, vt ex ea sanguis erumpat, paratiorem. Succus igitur, qui pellitur à facultate, quæ in liene est excretoria, retrogreditur ad iecur, postea facultas, quæ in iecore est, cum nequeat ipsum ferre, expellit. Hic verò sursum per venas tendit, ac dum circa caput fertur, sinistram narem apertam inuenit, per eámque excernitur. Ad eum etiam modum in iecore se habet. Cum enim in ipso affectio fuerit, spiritus, qui in ipso est, cum mouetur, ac ad superiora fertur, dextram sibi narem præparat. Qui igitur sanguinis eruptionem, quæ per nares fit, reuellere vult, si ex dextra quidem nare profluat, iecori: si ex sinistra, lieni: si ex ambab⁹, ambob⁹ etiã visceribus cucurbitulã imponere debet. Nam spiritus dum ex superioribus ad inferiora transfertur, succos secum commouere facit, ob idque vacuationem, quæ per nares fit, prohibet: hæc Stephanus.

Stephani Atheniensis sententia exploditur.

Ante omnia, corpus nostrum sic esse bipertitò diuisum, vt laborantibus dextris partibus, affectus sinistris non communicetur, & contrà, fabulosum & vanum pronuntiamus, quòd quotidiana experientia secus ostendat. Transeunt enim morbi à dextris ad sinistra, ab his ad illa

per-

perſæpe, & κατὰ συμπάθειαν coafficiuntur dextra ſiniſtris, ſiniſtra dextris. Imò vno laborante cerebro, aut corde, aut iecore, vniuerſum corpus laborat. Et quamuis cerebrũ vtcunq; in duo diuiſum ſit, & ventriculum habeat dextrum & ſiniſtrum (alios nunc taceo) ſintq; duo oculi, duæ aures, & nares ſimiliter: duo brachia, duo propè pulmones, duo renes, duóq; teſtes, & duo crura, vt ſic videatur corpus bipertitò diuiſum (quod enim de labro, & ſterno dicitur, ad rem quid faciat neſcio) vnum interim eſt os, vna lingua, vna gula, vna aſpera arteria, vnum cor, vnum hepar, vnus ventriculus, vnus ſplen, vnus vterus, vna veſica, vnum pudendum. Nec ſeptũ eſt vllũ, quod ſiniſtra omnia à dextris diſcriminet: & ſi eſſet, meatibus tamen donaretur, per quos & boni & mali ſucci, & ſpiritus, & naturalium facultatũ vis, ab his ad illas, ab illis ad has partes permearent. Neceſſarium enim eſt, cum cor vnicum ſit, hepárq; vnicũ (quæ magna ſunt noſtri corporis principia, magnis & excellentibus facultatibus prędita) ab ipſis ad vniuerſas corporis partes, tã dextras, quàm ſiniſtras, & alimoniam, & vitam dimanare. Vbi duplicata ſunt membra, ibi certè inſignis eſt, & cõmoda vtilitas, quandoquidẽ vno laborante, non mox laborat & aliud: & ſi animal vno priuetur, vti adhuc poteſt altero, quemadmodum de duabus in thorace cauitatibus, membranis interſepientibus à ſe inuicem diuiſis, Galenus ſcribit. Quę-

Corpus noſtrum non eſſe bipertitò diuiſum.

De geminãtis mẽbris.

cunq; autem geminata sunt, ferè ignobiliora sunt, vel ad vitam non necessaria: quippe potest aliquis viuere etiamsi careat non modò vno, sed vtroque oculo: sic de auribus, sic de testibus, brachijs, & cruribus. De renibus tamen res non sic habet, nec de cerebri ventriculis. Quod Stephanus dicit de semipercussis, id suam habet euidentem rationem, propter distributionem neruorum, à quibus motum sensúmq; partes è regione positę hauriunt. Hinc enim non efficitur, morbos ab vno, ad aliud latus non transire, si Dialecticorum regulas teneamus. Imò non raro à dextris, ad sinistra, ab his, ad illa, paralysis transit, & vtrunque latus corripit, vt suprà libro secundo monui.

De hemiplegia.

De spiritu quod ait, continuum esse eum, qui in dextris est, ei, qui in dextris: & sinistris illum, qui in sinistris: nec scio qualem spiritum sibi imaginetur, nec video quomodo cum tenuissimus sit, & per omnia permeet, ita sese diuidat, vt hic in dextris, ille in sinistris habitet partib⁹: hic sinistrorum, ille dextrorũ procurator & gubernator sit. Spiritus nos habemus à Galeno dilucidè traditos, animales, vitales, & (si placet) ante hos, naturales. Isti sunt in venis cum sanguine, nutritioni inseruientes: sunt autem ab hepate. Alij per arterias discurrunt, vitam conseruantes, à corde originem habentes. Tertij à cerebro ad singulas partes mittuntur, motum sensúmq; deferentes. Sed neq; de his pluribus nunc agen-

De spiritibus qui in nostris sunt corporibus

agendum est, nec omnia, quæ Stephanus habet, examinanda sunt. Nam quæ sequitur admiranda spiritus operatio, mera videtur fabula, poeticarum similis: quæ qua facilitate affertur, eadem reijcitur. Naturã tamen (hæc quid sit, Deus nouit, nam in libro de respiratione ostendimus, sumos medicos & philosophos cõfiteri, naturæ & animæ substantiã nobis esse ignotam) scimus corpus nostrum incomprehẽsibili & inenarrabili modo gubernare, & multa, quæ nostrum superent captum, facere. Ea verò per vniuersum corpus diffusa est, sibiq; semper continua, tam in sinistris, quàm in dextris: tam in nare, quàm in splene: omnia prouidens, omnia gubernans, omnia sustinens: nec vlla est corporis pars, quã tumulis paruula, in qua naturæ vis, potentia, & efficacia non se exerat. Porrò de spiritu illo Stephanico, hæc obiter considerãda propono. Cur dicatur proficisci, si sibi continuus est? Cur sinistrã narem aperire, liene malè habente, ac non potius venã naris? narem enim semper patentẽ videmus, & ad fluxum recipiendũ paratissimã. Si per narem, naris venam intellexisse putaueris, aperta vena naris, sanguis, qui in ea est, effluet continuò, non expectato eo, qui à liene ad hepar, ab hoc per venas in caput ascensurus est. Præterea, cùm natura splenis morbos non semper per sanguinis è naribus profluuium, sed sæpe etiam per hæmorrhoidas iudicet: si à spiritu illo hæmorrhoides sint aperiendæ,

Natura, & eius opera multa incõprehensibilia.

Contra spiritum à Stephano excogitatum.

duo erunt ei maxima obiecta incommoda: vnum, quòd amet & expetat superiora, non autem inferiora: alterum quòd in ano non sic inuenturus sit sinistra, quemadmodum in naso. Liceat enim nonnihil ludere, & iocari, quando quidem quæ Stephanus affert ludicra sunt.

Vt tamen ille canit:

——— ridentem dicere verum,

Quid vetat? Trincauellium autem hinc nihil, pro sua hæresi, potuisse depromere, ex eo manifestum est, quòd in toto hoc scripto de venæ sectione nulla fiat mentio, sed de excretionibus à natura factis. Deinde author ipse subijcit: Succus igitur, qui pellitur à facultate, quæ in liene est excretoria, retrogreditur ad iecur: postea facultas, quæ in iecore est, cum nequeat ipsum ferre, expellit. Hic verò sursum per venas tendit (nõ dicit ascendere per occultos meatus: quanquam à natura mitti posse concedamus) ac dum circa caput fertur, sinistram narem apertam inuenit, per eámq; excernitur. Sanguis ergo fertur per venas ad narẽ, spiritus tamen (vt author ait) tum per vasa, tum per occultos meatus proficiscitur. Poterat itaq; Trincauellius authorem hunc relinquere, cum in cõmentarijs istis nihil habeat, quod ad illud placitum confirmandũ faciat. Est autem verisimile, Trincauellium non aliunde, quàm ex hoc ipso cõmentario suos illos meatus sumpsisse, siquidem in eodem libro de secanda vena in pleuritide, post superius ci-

tata addit: Rectitudo itaq; partiũ corporis humani in ſolo earum ſitu conſtat, & earũ affinitas tum ex cõſpicuis illis meatibus, quibus corpus peruium eſt, tum ex naturali quodam conſenſu & propenſione. Cum enim ex natura corpus bipartitum ſit per longitudinem, maior eſt ex earum ſitu, inter partes, quæ ſunt in eodem latere, tum per meatus, tum per naturalem propenſionem affinitas, &c. Aſſumit enim bipertitam illam Stephanicã diuiſionem, quam paulò antè refutauimus. Ac de Stephano, deq; Trincauellio, dictum eſt ſatis.

Cæterùm naturam miranda ſæpe facere quę à noſtra cognitione & intelligentia longè abſũt, meridiana luce luculentius eſt. Fœtus enim magnos per viam admodum anguſtã quotidie in lucem edit: calculos in veſicam per inaſpectabiles meatus immittit: pus craſſum è thoracis cauitate per illæſos pulmones in aſperas arterias penetrare facit: ſanguinis vberrimam copiam à cordis ventrĭculo dextro in ſiniſtrum, nullo apparente meatu, deriuat. Hæc & huius generis alia miracula quotidie, imò vel continuè, vel aliâs ſubinde facit, quę mortalis homo mirari poteſt, intelligere non poteſt. Hæc verò cum faciat, quàm procliue illi erit, ſuccos ab vna ad aliam partem mittere tum per vaſa, tum per meatus alios, qui licet viſum effugiant, ratione tamen à nobis comprehendi poſſunt? Vt verò hæc efficiat, neceſſe non habet mittere ſpi-

Naturæ miracula in animalium corporibus.

ritu; ad viam sternendam: ipsa enim vbiq; est, et spiritus est. Propter coniunctionem tamen partium, modò in dextris, modò in sinistris è regione positis, in morborũ mutationibus, & curationibus, efficaciam suam magis exerit. In summa, occultos meatus admittimus, & naturã per hos multa administrare concedimus: & ciborũ, atq; medicamentorũ viribus peruios esse eiusmodi meatus, ex ijs, quæ quotidie videmus, & quæ mihi aliquando acciderunt, manifestissimè demonstratur. Sit enim aliquis multo labore fatigatus, esuriat, sitiátq;: cibus, & potus ei offeratur: quãprimùm edere incipit, ac aliquid in ventrem transmittit, mox vires redire sentit. Vini, præsertim generosi, statim ac pauxillum bibit, recreatur, exhilaratur, robur acquirit, & spiritus in eo excitantur: cibi tamen & potus nondũ sunt in ventriculo concocti, nondũ ab hepate in sanguinẽ transmutati, nondum ad partes transmissi. Vnde hoc, nisi q̊d à cibis & potu, quæ naturæ sint familiarissima, tenues quædã partes, & spiritus, vno momento, vt natiuum sentiunt calorem, corpus vniuersum peruadunt, ac penetrant? Sit ægrotus pleuriticus, vel ex pulmone laborans, vt primùm conuenientia biberit pharmaca, leuamen aliquod tussis, doloris, & dyspnœæ percipit: cum tamen pharmaca illa non rectà in pulmones & thoracem, sed in ventriculum ferãtur. Oportet itaq; medicamentorũ vim per ventriculi tunicas, pérq; diaphragma transire,

Meatus occultos cibis simul & medicamẽtis esse peruios.

ſire, & ita partes affectas iuuare: nam via, quæ per vaſa à ventre in thoracẽ ducit, admodum longa eſt, & multę in ea concoctiones, multæúe mutationes fiunt. Accidit medicamentis, quod & alimentis: vbi calorẽ noſtrum ſentiunt, atq; temperiem, mox, prout quodq; medicamentum agere aptum eſt, noſtro illo calore excitatum, hanc, illámue partem iuuat, aut lædit: hunc, illúmue affectum mitigat, aut auget. Et hoc quidem ocyus, illud tardius: vt etiam alimentorum alia citius, alia verò ſerius nutriunt. Medicamentorum enim vis diffunditur, & per corpora occurrentia penetrat. Mihi ſanè ex oculorum vitio laboranti ante annos ſex contigit, vt cum collyrium, quod album vocatur, adhiberem, paulò pòſt, per ſpatium fortè minutorum horæ vnius decem, amaritudinem in palato ſentirem. Prima vice non curaui: cum ſecundò vterer, eodem temporis interiecto ſpatio ſimilem amaritudinem percepi: tum vnde amaror ille eſſet, cogitare cœpi. Nihil autem minus in mentem veniebat, quàm quòd à collyrio proficiſceretur. Tandem cognoui, exploratúmque habui, ſarcocollæ ſaporem ipſiſsimum eſſe, qui per oculũ, omnésq; occurrentes partes, in palatum vſq; veniſſet. Si extrinſecus applicita ſic peruadũt, quanto magis aſſumpta? Quid de venenis dicemus, ſiue ea pharmaca ſint, ſiue virulentorum animaliũ morſus? quàm cito vniuerſam noſtri corporis temperiem ſoluunt & perdunt,

Obſeruandum.

virésque omnes deijciunt, ac sæpe non longa interposita mora enecant? Exposui in Miscellaneis historiam de Elizabetha vxore mea, quæ à scorpione percussa olim, dicto citius in ea symptomata incidit, vt moriendum ei putauerim. Seruata tamẽ cito fuit, Dei beneficio, quomodo illic scriptũ reliqui. Nolo nunc esse longior, nam de occultis meatibus abunde, quod huc spectet, dictum est: satis etiã ostensum, sanguinem per venas, non per eiusmodi meatus duci, quando remedium per venę sectionẽ adhibetur: & licet natura ipsa per eos meatus sanguinem excernere possit, nos tamen simili ratione à laborantibus partibus sanguinem nequaquam auertere. Vndę verò digressi sumus, eò nunc reuertamur.

Scorpionis ictus.

Venę sectio in sinistro cubito sple-ne laboran-te, quomo-do non sit per imita-tionem.

Rogo igitur prætcrea, si naturã imitari oporteat, cum illa sanguinẽ per nares, nõ autem per cubitos expellat, cur nos venas in cubitis secamus, ac non potius è naribus sanguinẽ prolicimus? Etsi enim venas in naribus secare non possumus, sanguinẽ tamen inde, acrium, pungentiũ mordẽtiúmque ope extrahere possumus: sic enim Galeni locum in 2. comp. m. loc. in capite de cephalæa intelligendum puto. Vide Aeginetam lib. 6. cap. 40. Quòd si licet à nare, ad cubitum transire secundùm rectitudinẽ lateris, cur non etiam ad cubitum secundum rectitudinẽ venarum, à caua, ad axillarẽ? præsertim cum nesciamus per vasa ne, an per alias vias natura expellere soleat;

lere soleat: nos autē dextram axillarē secantes eodē modo vacuem⁹, per vasa scilicet, vt quādo secamus sinistrā, lateris rectitudinem seruātes. Quippe cum natura multas inueniat vias, per quas excretiones suas faciat, & secundū rectum quidem, eas verò nos ignoremus, imitari illam temerè, aut præposterè videbimur, si, cum vnam tantùm sciamus, aut per vnam tantùm vacuemus, quæ ratio dictat, quæ experientia probat, & veteres ipsi docuerunt, in hac ipsa non sequamur. Ad hæc, cum natura morbos melancholicos, & qui splenem exercent, interdum per hæmorrhoidas finiat, cur non iubet Galenus in sinistro crure venam secari? Natura in ijsdem morbis crisis modum eundem non semper seruat. Si igitur illa crisim per inferiora facturа sit, cubiti sectione ipsius institutum impeditur.

Quid, quòd natura expulsiones suas bonas non nisi in morborum vigoribus & declinationibus vniuersalibus facit, nos verò statim initio morbi sanguinem detrahimus. Qualis est hæc imitatio? Si natura imitanda est, & si imitari illam velimus, sanguinem morbo iam concocto, non autem crudo existente, per eas vias (modò bene cognitæ nobis sint) per quas ipsa solet, eliciemus. Verùm secus quàm illa per omnia facimus: illa è naribus morbo deuicto sanguinem fundit, nos è cubito morbo incipiente: At hoc cum facimus, non ad imitandum naturales

Quòd na-
ram in uei
sectione r
imitemur

excretiones, sed alium in finem facimus. Ergo hoc loco & tempore, quæ natura facere solet, nobis proponere non debemus. Licet ergo sanguinem inde mittere, vnde expeditissimè summa cum ægroti vtilitate, & mitti potest, & mittendum esse ratio suadet.

Matthæus Curtius in lib. de vena in pleuritide secanda, duos producit è libris Hippocratis de morbis vulgaribus ægrotos, Metonem quendam è libro primo, & Periclem Abderitã è tertio, qui sanguinis eruptiones è naribus habuerint ante morbi concoctionẽ, & sanati tandẽ sint. Cui sic primùm respondeo, sicut in Miscellaneis cap. 2. scripsi: Hippocratem morborum historias referre miras, in quibus multa euenerint, secus quàm euenire debuerint atq; cõsueuerint, ac præter expectationẽ ægroti sanati fuerint. Iccirco Galenus in enarratione historiæ morbi Metonis ait: Quod verò in exitu totius narrationis scripsit: In hoc nõ erat recidiua, sed cerebrò sanguis etiã post iudicium fluxit: eó est dictum, quòd absq; vrinarũ concoctione esset iudicatus. Didicistis autem hoc ipso in libro, concoctiones celere iudicium, & certam sanitatem promittere. At cruda & incocta in malos abscessus deflectere, aut in acrisias, aut labores, aut interit⁹, aut diuturnitates, aut recidiuas. Atqui cruda adhuc erant, & incocta, nõ tamen in malos abscessus cõuersa fuerunt. Et in historia eius, qui in Dealcis horto decumbebat (de quo

[Margin: ulta sępe enire cõ generaartis ca nes.]

paulò

paulò antè egimus)sic tradit: Omnia fuisse hæc symptomata & signa praua, qui sunt memores eorum, quæ in Præsagijs sunt prodita, non ignorant, & mox: Sunt & hæc omnia mala symptomata, quæ commemorauit, præter abscessum, &c. & iterum: Adhuc perniciosa sunt hæc omnia. Aegrotus tamen hic, quemadmodum & alter, seruatus est, tam multis, tamq; malis signis apparentibus. Ex his ergo certi canones constitui non possunt.

Natura in morborum initijs crisim non facere.

Prætera, in Metonis, & Periclis quoq; historia obseruandũ, quòd cum sanguis intempestiuè prodierit, à vi morbi, & capitis repletione magna potius, quã à natura pulsus fit. De Metone enĩ scribitur. Tertio capitis grauitas, retrimẽta tenuia, biliosa, subrubra. Die quarto cuncta exacerbata sunt, bis de nare dextra sanguis paulatim fluxit. Quid verò hinc secutũ est? boni nè aliquid? imò mali multũ. Nox enim grauis fuit, deiectiones vt erãt die tertio, vrina subnigra, in qua subnigra pendebant dispersa, non sudabat. Cum verò natura nõnihil præualeret, quinto die non modò sanguinẽ, sed etiam sudorem expulit, ac tum iudicatus est, nõ tamen integrè, quia vigiliæ, delirium, & vrinæ malæ perseuerabant, quoad profuso sæpius sanguine penitus liberaretur. De Pericle verò hæc traduntur: Periclem in Abderis febris corripuit acuta, continua cum dolore, multum sitiebat, fastidiosus erat, potum non poterat continere,

erat lienosus, grauatóque capite. Primo die ex sinistra nare sanguis profluxit multus. Quid postea factum? tamen febris increscebat, & secundo die omnia fuerunt grauiora. Postea verò morbus cœpit concoqui, & copioso è toto corpore promanante sudore iudicatus est, non sanguinis eruptione. Simile quid est in historia illius ægroti, in Dealcis horto decumbentis: secũdo enim die, & quarto sanguinem de sinistra nare emisit, sed absque manifesta vtilitate. Quamobrem nihil hic habemus, quod imitatione prosequi debeamus. Neque hæc sic accipienda sunt, aut eò detorquenda, vt naturam excretiones in morborum initijs facere, medicósque sanguinis diminutione initio adhibita, naturam imitari dicamus. Alijs in rebus multis naturam imitari oportet: concocta enim, non autem cruda, purgare: per vias maximè conuenientes ducere: à nobilioribus ad ignobiliores partes morborum vim conuertere: & quæ huius sunt generis alia facere eum decet, qui fidelis naturæ minister esse, haberique velit. Rectitudinem quoque dextri & sinistri, custodire, in cucurbitulis affigendis, in frictionibus, in vinculis, in cauterijs, & similibus: imò in venæ sectione quoque, quando rectitudo lateris rectitudini venarum consentit. Consentit autem in valde multis, præsertim hepate superioribus partibus. Nam si pleuritides sinistras, & dextrarum pulmonis partiũ morbos excipias, nihil puto, inuenies, quod rectitu-

[N]aturã in [...]ibus imi[ta]ri, & quo [m]odo, & [qu]ando de[ce]amus.

[R]ectitudo [la]terum & [re]ctitudo [v]enarũ ubi [c]onsentiãt, [&] ubi dis[se]ntiant.

rectitudines secũ ipsas pugnantes faciat. Quod verò ad partes hepate inferiores attinet, de solo splene maxima est controuersia, quia nec cũ sinistra nec cũ dextra axillari cõsentit. Rẽ autem sinister, & reliqua sinistra vtcunque cũ axillari sinistra cõsentiunt, venę tamen sectio in dextra magis mihi placuerit. De dextris porrò inferioribus nulla est dissensio, nam dextra interior semper est aperienda vena. Vbi tamen morbi constitutio venarum in cruribus sectionem postulauerit, dextris laborantibus, in dextro crure: sinistris, in sinistro vena secanda erit: hîc enim rectitudo lateris, cum rectitudine venarum consentit atque conspirat. Itaque vides, paucis admodum in morbis rectitudines pugnare, vt mirum videri nõ debeat, quòd Galenus præceptum, de rectitudine laterũ seruãda, generale tradiderit.

Naturam igitur sępe quidem, non tamen semper, excretiones & abscessus secundum rectum moliri, & cum molitur, non per vasa solùm, sed etiam per incognitos nobis meatus humores pellere docuimus: in quo etiam excretionum genere dextri & sinistri rationem seruare possit, & in quibus non, ostendimus: naturam nos imitari venæ sectione omnibus in locis, & morbis, non debere, imò nec posse, sed tamen in multis, & quibus etiam aliis remediis, quomodo, & quãdo eandem imitari, aut rectitudinem seruare oporteat, perspicuè, vt opinor, diximus: hoc quoque interim monstrato, neque naturam scilicet

Quæ ho capite sin demonstr

excretiones ſuas in morborum initijs ſolitam facere, neq; nos ſanguinis detractionem eo tempore adhibendo, naturæ opera ſequi & imitari ſtudere.

CAPVT VI.

De plenitudine.

LIbro primo, cap. 13. plenitudinem Græcos imitati, in eam, quæ ad vires, & eam, quæ ad vaſa, vel κατὰ τὸ ἔγχυμα dicitur, partiti ſumus, & quomodo vtraq; ſpecies intelligenda ſit breuibus monuimus. Sanguinis enim abundãtia quò ad vires, maior quidem eſt, quàm illæ ferre queant, ideóq; grauantur, vaſa tamen hîc non diſtenduntur. Nam eoúſq; aucta nõn eſt, vt vaſa impleat, & diſpoſitionem periculorum maximorum plenã faciat, ſed ſic duntaxat ſanguinis multitudò creuit, vt ſuo pondere naturam grauet, & ad actiones ſegniorem, minúſq; expeditam reddat. Altera verò plenitudinis ſpecies, quæ vaſorum diſtentione continetur, ac definitur, in cauſis vires neceſſariò debilitantibus, aut confirmantibus, numeranda non eſt, quia ſanguinis multitudo, cum, & ſine virium robore inueniri poteſt. Paulus Aegineta lib. 6. cap. 40. ſic alteram ab altera ſecernit, vt priorem vires grauare, vaſa verò nequaquam diſtendere, poſteriorem autem quaſi priori contrariam, vaſa diſtendere, vires verò minimè grauare, tradat, ſic enim ſcribit. Sãguinis redũdatio duplex indicata eſt, vna

[margin: Plenitudo ad vires.]

[margin: Plenitudo ad vaſa.]

quidem

quidem ad vires, etamsi venæ fartæ non videantur: quo in statu homines illicò imbecilles infirmíq; reddũtur, cum natura onus, veluti sarcinam quandam sustinere nequeat. Altera verò ad ipsa, quæ sanguinem continent, receptacula, ipsa sanguinis transfusione speculata, etsi virtus citra molestiam id perferat. Innuit author hic plenitudini ad vasa vires ferendo idoneas adesse, id quod Galeno manifestè aduersatur. Quanquam enim non semper vires grauare aut deijcere dicat, non tamen perpetuò in plenitudinis specie illa vires constare arbitratur. Quocirca posterior plenitudinis species subdiuidenda videtur, vt plenitudo ad vasa duplex sit, vna cum virium robore, altera cum earundem imbecillitate coniuncta. Aut tertia species quædam constituenda, quæ pessima sit, quando nimirum & vasa sanguine nimio distenduntur, & naturæ robur simul infirmatur. Galenus in libro de plenitudine inter cætera contra Erasistratum hæc scribit: Aliqui enim, magis quàm fuerint, sanguinei nonnunquam simul & robustiores effecti visuntur: alij simul robustiores minúsque sanguinei. In priore sermonis huius membro tensiua plenitudo cum virium robore proponitur, vt si nihil prohibeat sanguinem & virium robur simul augeri, vt exemplo postea ostendit, si bonus gymnasta eum, qui multum pituitosi sanguinis ex desidia collegit, viribúsque imbecillior est, robustum

Plenitudo ad uasa nō semper cū uirium robore coniuncta est.

ſimul & ſanguine affluentem reddiderit. Iccirco inter duas has periodos ſcribit: Nam quibus ambo (nempe ſanguis & vires) ſimul augentur, verè robur quoque dicetur augeri, &c. Quòd autem plenitudo abſque virium incremento, vel cum illarum infirmitate quandoque reperiatur, ex his, eodem in loco perſcriptis, liquet. Quare cum nec ſanguinis affluentia, inquit, neceſſariò robur augeſcat, nec decremento minuatur, hæc quoque negligentius dicta eſſe Eraſiſtrato putandum eſt. Et paulò pòſt: Non enim cogit neceſsitas, vt vires, aucto ſanguine, ſimul augeſcant. Et iterum: Non tamen à ſanguine vberiore neceſſaria eſt ſequela: neque enim ſi largior is ſit priore, homo ex neceſsitate valentior eſt. Et mox: Quapropter ex iјs, quæ diximus, liquet, actionum firmitudinem robuſtarum virium proprium ſimul atque inſeparabile indicium eſſe: ſanguinis verò incrementi neq; proprium, neq; inſeparabile. Cum dicit ex ſanguinis abundantia non neceſſariò conſequi virium robur, ſatis intelligitur, virium robur cum multo ſanguine, ſiue cum ipſa plenitudine tenſiua, (de hac enim ſermo eſt, nam Eraſiſtratus de altera ne meminit quidem, vt Galenus teſtatur) coniungi poſſe quidem, non tamen neceſſariò ſequi, vt in quo multus ſit ſanguis, in eo vires ſimul ſint robuſtæ, ſicuti falſò ſibi perſuadebat Eraſiſtratus, qui robur virium à ſanguinis incremento ſeiungi non

gi non posse affirmabat: quod placitum probabile alioqui videri poterat, cum sanguis naturæ sit familiarissimus atq; gratissimus, corpúsque alat, & vires sustentet. Similiter quando ait Galenus, virium robur neque proprium, neq; inseparabile incrementi sanguinis indicium esse, non negat fieri vtiq; posse, vt validæ vires cum copioso sanguine iunctæ sint (hoc enim antè posuerat) sed non esse perpetuum, neque ex necessitate euenire: quia nec sanguinis multitudo, nec paucitas vires per se, aut necessariò auget minuitue. Licet igitur tres plenitudinis species statuere, vnam, quando sanguis paulò largior est, quàm vt vires ferendo sint, sine tamen vasorum repletione: alteram, quando maxima adest sanguinis abundantia, sed vnà etiam virium firmitas: tertiam, cum vires valentes non sunt, vasa autem ipsa præ nimia contenti sanguinis copia in ruptionis periculũ veniunt. Prima species minimùm periculosa est, tertia periculosissima, media autem medio modo se habet.

Erasistratus crescente sanguine uirium semper robur crescere existimauit.

Plenitudinis species tres.

Cæterùm cum Erasistratus plenitudinis ad vires nullam mentionem fecerit (quomodo enim illius meminisset, si cum incremento sanguinis, virium robur semper crescere, & ab illo separari non posse existimabat?) quemadmodũ Galenus eodem in libro non semel monet, hodie quoq; inueniuntur, qui nisi vasa distendantur, plenitudinem non effici, nec periculũ vllum subesse morbi alicuius, dicant: malíntq; Erasi-

Erasistratus plenitudinem ad uires non posuit.

ſtratum, nihil, quàm Galenũ, quidlibet, demonſtrantem ſequi, huius contra illum rationibus vel non lectis, vel non intellectis, aut ſaltẽ non refutatis, vt nõ niſi impudenter ac temerè eos facere dici poſsit. Plenitudinis quidem vocabulũ illud videtur depoſcere, vt plenitudo nõ ſit ſine diſtẽtione vaſorũ: ſed plenitudo magis & min⁹ admittit, vel Eraſiſtrato ipſo iudice, ideóq; plenitudo dici poteſt, licet vaſa non omnino diſtendantur, ſi ſanguinis plus inſit, quàm antè, & quã vires ferant. Vbi illud maximè eſt aduertendum, non ſimpliciter plenitudinem appellari illam, in qua vaſa non diſtenduntur, ſed plenitudinem ad vires, id eſt, virium reſpectu, quando illæ ſe grauari ſentiunt. Colligimus enim ſanguinem eſſe adauctum, vaſáque pleniora effecta, vbi vires premi videmus, nullo alio affectu manifeſtè apparente, cum prius incommodi nihil ſentirẽt. Qui cœna vberiore fuerit vſus, grauari ſe ſentiet, ac ſe impletum dicet, ventrémq; tumentem habebit, quamuis impleri adhuc multo magis poſsit. Non magna quidem in hac plenitudine, de qua nunc agimus, ſanguinis abundantia ſubeſt, moderata tamen, virium reſpectu, maior: quo ſanè nomine minuenda videtur, ne, cum iam vires grauet ac debilitet, paulò pòſt vincat, & hominem graui aliquo morbo implicet. Falluntur enim plurimùm, qui nullũ ſubeſſe in hac plenitudine periculum exiſtimant, non aduertentes quæ Galenus in libro de cu-

Quomodo plenitudo ad uires rectè plenitudo uocetur, tametſi ſanguis parum auctus ſit.

Plenitudinem ad uires periculo non uacare.

de curandi rat. per sang. missionem prodidit. Igitur cum plenitudo, inquit ille, duplex sit, & ea, quæ ad vires refertur, facile in putredinem perueniat, atque etiam interdum in partes quasdam ingruens, inibi tumores præter naturam excitet, &c. Cur enim tam in ea, quæ ad vires, quàm in altera plenitudine, sanguinem detrahendum monet, si homo ita affectus nihil periclitatur? Aut igitur Galeni scripta refellant (quod hactenus non fecerunt, nec quando facturi sint scio) & præcepta ipsi meliora inueniant, aut taceant necesse est. Quid, quòd in omni tensiua plenitudine calorem suffocari, & vires debilitari perhibent, cum tamen non rarò fiat, vt ostensum est, vt sanguine pleni, iidem viribus validis sint præditi: fieri verò non potest, vt si calor suffocetur, & putredo nascatur, vires validæ perstent. Cur tanta solicitudine atque diligentia bonus ille noster Galenus, nunquam satis laudatus, sanguinis mittendi scopos intuens, an vnà cum sanguinis copia virium quoque robur insit peruestigat: & siquidem inest, sanguinem vel ad animi deliquium vsque minuit? Atque hinc etiam illud, quod suprà docuimus, colligitur, sanguinis multitudinem cum virium imbecillitate nonnunquam copulari. Etenim si in omni plenitudine vires essent validæ, sicut docebat Erasistratus, non quidem, an vires robustæ sint, ei, cui sanguinem minuere cogitamus, quærendum es-

Plenitudinem ad uasa non semp. per calorẽ suffocare.

ſet, ſed potius, an ſanguinis multum haberet: nam cũ ſanguinis abundantia virium firmitudo adeſſet. In libro de curandi rat. per ſang. miſsio nem cap. 12. Galenus ſcribit: Vbi ergo multa euacuatione eſt opus, verùm vires ſunt imbecilli ores, in his euacuationem partiri expedit: vti nimirum & me feciſſe vidiſtis in ijs, quibus cru dorum inerat humorum copia. Nam pauculo ſanguine detracto, &c. Multa euacuatione opus eſſe intelligit, quia maximam plenitudinem ſupponit, in qua tamẽ vires ſint imbecillio res propter humorum cruditatẽ in vniuerſum corpus cum ſanguine diffuſam. Vbi enim talis eſt ſanguis, id eſt, crudis humoribus refertus, vi res conſtantes eſſe nequeunt. Magna ergo plenitudo euacuationem magnam faciendam indi cat: virium autem imbecillitas euacuationẽ tan tam vna vice factam non fert. Quomodo igitur ſuccurrendũ ſic laborantibus? Sanguinis miſſio prorſus quidẽ prætermittenda non eſt, parcior tamen, ſed repetita, adhibenda: ſic enim & plenitudinẽ minui, & vires non deijci videmus. Plenitudo autem eiuſmodi, ex victus intemperantia ferè comparatur, vt & in libro de venæ ſectione, & in eo, qui de Plenitudine inſcribitur, Galenus tradit, quod aliquibus παράδοξον videtur, quoniam intemperantes crudos tantùm humores, non ſanguinis copiam colligere putant. Verùm interdum bonum ſanguinem, quan dóque verò crudos humores, aliâs vtrunq; ſimul accumulant: inſpicienda enim hîc ſunt, ci-

Plenitudo cum crudis humoribus

borum qualitas, & eorundem, ac somni, balnei, exercitiorúmq; ordo atq; tempus illis vsitatum. Exempla in nostris Germanis habemus infinita. Ac quemadmodũ plenitudinũ alia est sanguinea, alia pituitosa, alia biliosa, & alia melancholica, sic & crudis humoribus permista quædam, quæ peculiarem plenitudinis speciem nõ constituit: nam qualitatis humorum respectu quatuor tantùm species sunt: etenim crudi humores de pituitæ genere Galeno dicũtur. Quas enim suprà posuimus plenitudinum species, numero tres, eæ non ad humorũ qualitatem, sed ad quantitatem referuntur. Voces autem species, aut genera, aut modos, aut aliter, nihil sanè retulerit. Prauam verò illam plenitudinem, ex multis crudis humoribus sanguini permistis genitam, (quam ex intemperantia interdum fieri diximus) Galenus in libro de plenitudine cæteris pituitosis accenset: & in lib. περὶ φλεβοτομίας eius generis plenitudinis constitutionem curandam proponit, vt paulò antè audiuimus. In lib. enim de plenitudine: Enimuerò crudũ quoq; humorem, ait, vnum quoddã genus pituitæ in præsenti sermone constitui oportere compertũ est: quando si diuersum ab illa posuerimus, ex tali etiã humore differẽtiam insuper ijs, quas nuper multitudinis diximus, adijcere est necesse. Etenĩ nisi crudus humor pituitæ nomine comprehenderetur, nouã plenitudinis speciem faceret, indicijsq; proprijs cognoscẽdã exhiberet: verũ communibus pituitarum signis ferè subijcitur.

Plenitudinis species secundum humorum qualitates.

CAPVT VII.

De Græca locutione, ὐ μόνον ὐ.

INitio ſecundi noſtri libri, cum multæ occurrerent difficultates ob Galeni præceptũ quoddam in libro de curandi ratione per ſanguinis miſsionem capite 18. quo monet, vt in vteri malis ſanguinem ex cruribus detrahamus: inquirendum diligenter duximus, quemnam vteri morbum ſupponeret in his, quæ hic ponentur, verbis: & quodnam eſſet miſsionis ſanguinis genus, quod morbo illi curando adhiberet, reuulſio ne, an verò deriuatio: & num ſectæ in cruribus venæ reuellendi vim haberent: hæc enim omnia conſideratione digna videbantur. Porrò Galeni locus ſic habet: ταῖς γὰρ ἐπ᾽ ἀγκῶνος κενώσεσι, καὶ ἄλλο τι πρόσεστι μοχθηρὸν, ἐπέχουσι γὰρ ἐμμήνους καθάρσεις, ἀντισπῶσαι τὸ αἷμα πρὸς τὰ τοῦ σώματος ὑψηλότερα: ταῖς δ᾽ ἀπὸ τῶν σκελῶν, οὐ μόνον ἀντισπᾶσαι, ἀλλὰ καὶ προτρέπειν ὑπάρχει τὰ καταμήνια: id eſt: Euacuationibus enim, quæ ex cubito fiunt, aliud quoddam eſt adiunctum malum, ſupprimunt enim menſtruas purgationes, reuellentes ſanguinem ad corporis ſuperiora: quæ verò ex cruribus, non ſolùm reuellere, ſed etiam menſes prouocare poſſunt. Cum autem facilè animaduerteremus prouocationis menſium potius, quàm inflammationis (licet celeberrimi quidam alij medici ſecus ſentiant) curationem

tradi

tradi: simul etiam illud sumus assecuti, reuulsionem à Galeno non pręscribi, sed deriuationem, aut simplicem vacuationem. Reuulsio enim menses supprimit magis. Ex his porrò tertium quoq; intelleximus, quòd venæ in cruribus facta sectio reuellendi causa adhibita non sit, nec adhiberi debeat, in morbis vteri scilicet, aut aliarum inferiorũ partium. Quot verò, & quales pro nostra sententia rationes habeamus, supradicti libri nostri caput primum, & libri tertij pars maxima monstrat. Vt autem tam multis ea de re ageremus, in causa fuit vna quidem ex parte ipse Græcus contextus, qui nobis manifestè reclamabat: altera verò ex parte loca alia Galeni aliquot, quibus cum hoc non bene conueniebat. Ac videbam quidem si Græca sic habuissent, quemadmodum in Latinis codicibus, veteris præsertim interpretis, legimus, facillimè controuersias omnes componi potuisse. Latina enim lectio castigatior videbatur. In eam igitur sententiam abij, vt putarim quod affirmatiuè in Græcis codicibus de reuulsione per sectionem venarũ crurũ proponitur hoc modò: οὐ μόνον ἀντισπᾶσαι, negatiuè legendũ esse, ac proinde negationẽ aliam, quæ intercidisset, addendã ad hunc modũ: οὐ μόνον οὐκ ἀντισπᾶσαι, id est, nõ modo non reuellere. Vt enim eleganter Latinè dicimus, nõ modò non, sic Græcè hoc loco legendũ videbatur, οὐ μόνον οὐ. Iuxta autẽ Grææ orthographiæ leges, cum post aduerbiũ οὐ, alia vox non à

consonante, sed à vocali incipiens sequitur, nō οὐ, sed οὐκ scribitur: quòd si vocalis aspirata fuerit, κ in χ mutatur. Legendum itaque hoc loco, & supplendum vt diximus, quemadmodum sanè superioribus libris copiosè ostendimus. Nec mirum videri debet, vnam voculā hîc intercidisse, cum alibi, in hoc etiam libro περὶ φλεβοτομίας integri versus desiderentur.

Cæterùm an locutio hæc, οὐ μόνον οὐ, Græcis scriptoribus, Galenóque in primis vsitata fuerit, quęrat fortasse quispiam. Ne igitur nouā phrasim fabricare videamur, Galeno vsitatam fuisse (& hoc nobis sufficiet) iam iam ostensuri sumus. Si enim ex illius libris exempla depromantur, licet inter Græcos alius nemo sic locutus esset, castigatio nostra nihilominus bene confirmata erit. Etenim si in Galeno toto nullum huius locutionis exemplum inueniretur, castigatio iam dicta, vt quæ ab vsitata loquendi consuetudine procul abesset, reijci paucis posset. In libro igitur περὶ φλεβοτομίας πρὸς Ἐρασιστρατείους τοὺς ἐν Ῥώμῃ, Galenus sic scribit: ἐφ' οἷς ἤδη τινὲς οὐ μόνον οὐκ ἐπαινοῦσι τῆς περὶ τῆς ἐπιμελείας, ἀλλὰ καὶ ψέγουσι. Et in fine eiusdē libri iterum sic: ἐγὼ γὰρ ἐπιδείξω κατὰ τὸν ἑξῆς λόγον, οὐ μόνον ἅπαντας οὐ δεομένους φλεβοτομίας, ἀλλ' οὐδὲ τοὺς πληθωρικοὺς αὐτούς. Et libro tertio de vsu partium cap. 5. ait: οὐ μόνον οὐ δυνάνται βαδίζειν ἀσφαλῶς οὗτοί γε, &c. Item lib. 12 methodi medendi cap. 8. ad hunc modum: οὐ μόνον γὰρ οὐκ ἔστι διψωδέστερα κρομμύων, ἀλλ' οὐδὲ διψώδη τὴν ἀρχήν. In libro de animi morbis cognoscendis & curandis:

randis: τοιοῦτον γὰρ τις ἑλόμενος βίον οὐ μόνον οὐκ ἀληθεύει, ἀλλὰ καὶ κακίαν ὅλην ἐξ ἀνάγκης ἔχει. Sic in fine libri de formatione fœtus: οὐ μόνον οὐκ οὖσαν σόφην, ἀλλὰ καὶ παντάπασιν ἄλογον. Est itaq; plusquàm manifestum, locutionem non esse inusitatã: cum autem vsitata sit, & rationes complures postulent vt & sic legatur, & intelligatur, castigatio nostra non modò non absona, verumetiam vtilissima censeri debet, vtpote qua difficultates, & controuersiæ multæ tolluntur.

CAPVT VIII.

De ostiolis, quæ Amatus Lusitanus in vena sine pari se vidisse scribit.

Libro superiore secundo, cap. 4. Amati Lusitani sententiam de venæ sectione in pleuritide, de ostiolis orificij venæ sine pari, déq; venis quibusdam à Vesalio omissis refellens, rationibus meo Marte inuentis innixus ostendi, bonum illum scriptorẽ fabulas, ne dicam mendacia, pro admirandis quibusdam in re anatomica obseruationibus tradidisse. Nec me fefellit mea opinio, dum existimaui nihil vnquã ab illo visum fuisse tale, licet asseueranter affirmarit. Vidi enim postea (prius nanque non viderã aliâs minus laborassem fabellis illis explodendis) quæ Gabriel Falloppius in anatomicis obseruationibus suis scripserat: item ea, quæ Vesalius, dum Falloppio respondet, contra Amati

ſententiam edidit. Duo etenim ſcriptores hi luculenter oſtendunt, nihil præter vana ſomnia à Luſitano fuiſſe ſcripta. Nam Falloppius de vena ſine pari ſic tradit: In vena ſine pari plurima adnotaui, quæ (vt mihi videtur) ab alijs aut falſò erant addita, aut negligentia non leui prætermiſſa. Addita quidem hæc erant: nam Amatus medicus Luſitanus (vt ab ipſo incipiam) in prima curationum medicinalium centuria, in ſcholijs curationis quinquageſimæ primæ, comprobare volens in pleuritide eiuſdem lateris affecti venam in cubito ſecandam eſſe, aſſerit, quòd in principio venæ iſtius ſine pari adſunt membranulæ, ſeu oſtiola, vel opercula dicta, qualia in orificijs vaſorum cordis apparent, quæ ingreſſum ſanguini concedunt, egreſſum verò in cauam venam minimè. Vnde ſequitur quòd ſecta vena in cubito quantumuis euacuet cauam, nil tamen ſanguinis educit à vena ſine pari: quoniam oſtiola illa regurgitantem ſanguinem in cauam egredi impediunt. Teſtimonia partim viua, & partim neci ſubiecta adiungit. Nam teſtatur hoc ſibi oſtenſum fuiſſe à Ioanne Baptiſta Cannano nobili anatomico: atque in duodecim diſſectis humanis, & totidem alijs brutorum cadaueribus idem penitus fuiſſe compertum. Vellem, mi Petre, quòd Ioannis Baptiſtæ Cannani integerrimos mores, atque ſolidam doctrinam optimè, vt ego facio, cognoſceres: quo-

niam

niam hominem ad quamlibet aliam operam potius quàm ad fingendas fabulas aptum esse iudicares. Neque credas hoc dogma ab ipso vnquam (nisi vt, fortasse per iocum, aliquot, qui cum Amato adessent, deluderet) esse proditum. Nam reuera opercula hæc non reperiuntur in hominibus, nec etiam in brutis, quæ ego secui. Neque ita ineptus est Cannanus, vt secando patentem atque amplam venæ sine pari in exordio cauitatem optimè conspicere non potuerit. Quare ego in Amatum, virum alioqui doctum, potius culpam huius criminis reijcerem, quoniam non ita rectè omnia, quæ ad anatomen pertinent, aut viderit, aut intellexerit, vt rectè sunt à Cannano explicata.

Vesalius autẽ sic habet: Num Cannanus me cum ita iocatus sit, atq; ipsum cum parum mihi æquo Amato, alijsq; aliquot per risum egisse tibi persuades, nescio. Ratisbonæ enim cum D. Franciscum Estensem ægrum cum ipso inuiserem, is mihi retulit, se in venæ coniuge carentis initio, & item in venarum renes adeuntium, & in sectionum venæ iuxta elatiorẽ sacri ossis sedem occurrentium orificijs membranas eiusmodi obseruare, quales in venæ arterialis, & magnę arterię occurrũt principijs: hásq; sanguinis refluxui obstare asseruit. Vnde etiã mihi hĩc occasio offerebatur, vt rem, nũ ita sese haberet, mox sectione expenderem. Cúmq; Amatum in-

ſuper in Cannani comperirem eſſe ſententia, il
lúmq; ex huius iudicio pendere legerem, fini ca
pitis illius, quo, quî natura venarũ robori in di
ſtributione proſpexit, perſequor, ſatis dilucidè
addidi, quidnã de eiuſmodi membranis veniat
ſtatuendum Has nanq; non reperi, verùm venæ
corporis in ipſis orificijs quandam obſeruaui
notatu dignam craſsitiem, & roboris nomine
(perinde ac in ventriculi orificijs cernimus)fa-
ctam extuberationem, quam membranarũ vice
inſpectoribus occurriſſe ſcripſi. Mox autẽ ad-
dit: Cæterùm vt venæ pari carentis orificij na-
turam ſedulò perſcrutatus ſum, ſic quoq; Amati
occaſione quis coalitus, quæúe vnio venis co-
ſtas perreptantibus, cum venæ illius ramulis
eſſet indagandum duxi, quæ à vena in axillam
prolapſura exteriori thoracis ſedi, potiſsimùm
verò ipſius cuti, muſculorúmq;, hîc conſiſtentiũ,
exteriori ſuperficiei aliquouſq; exporrigitur,
& cum ſuis ſocijs eleganter in meis ſcriptis ex-
plicatur. Amatus nanque internarum venarum
cum externis vnionẽ proponit, quæ à me nun-
quam ſectione eſt animaduerſa: & quam, vena
rum per tubos inflatione, in diſſectionibus ob-
uiam reddi, ac à natura ad lateralis morbi cu-
rationem inſtitutam aſſerit. Verùm mox depre
hendi, illum fratris mei, piæ memoriæ, autho-
ritate (vti is mihi præſens enarrauit) abuti, &
venas ex thoracis cauitate per coſtarum inter-
ualla excidentes, & ad muſculos, qui thoraci
paſsim

paſsim inſternuntur, digeſtas, perperam ipſi illarum propaginum loco haberi, quæ altiora profundioráue corporis ab illa vena non ſubeunt, quam circa axillam exoriri nouimus. Ac proinde cum hic integram in meis libris rerum ſcirem eſſe hiſtoriam, & illud vnionis commentum potius irridendum, quàm indicandum ducerem, huius non memini. Cæterùm ne tu gloriæ, quam effictam hanc, & ementitam, lateralis morbi cauſa, vnionem ſuo inuentori parare arbitraris, non eſſes vnà particeps, haud ſecus orationem hîc modò inſtituis, quàm ſi obſeruares venas exteriora thoracis perreptantes numeroſè in thoracis cauitatem ſubire & diſtribui mirificè coſtarum interuallis, in quibus id accidit, ſerio, ac magno veluti ſtudio abs te enumeratis. hæc Veſalius. Ex his omnibus facile eſt intelligere, quantopere falſus ſit Amatus, alióſue fefellerit, de membranis, vel oſtiolis illis (quæ ſibi finxerat, vel à Cannano malè didicerat) tam vana tradens. Quàm parum etiam æquus Veſalio fuerit, & quàm futilem curandæ pleuritidis rationē excogitauerit, cùm ea, quæ nos ſuprà tradidimus, tum quæ Veſalius pro ſe ipſo affert, abundè declarant. Rectè igitur Luſitanum in inſulas relegauimus, ne noſtris hominibus fabuloſa ſua anatome imponat: neue eos lateris morbo laborantes curandi prætextu iugulet. Quàm vellem vt tardiores eſſemus ad edendum, præſertim vbi de rebus agi-

tur momenti non leuis, ne pro maturis perfe-ctisque fœtibus, putidos aborsus emitteremus: Verùm peccamus hac in re sæpe multúmque: scripta enim nostra iusto tẽpore nõ supprimimus, non castigamus, nec amicorum consilia & iudicia quærimus, aut audimus. Sed quid hinc postea sequitur? dolor, pudor, & sera pœnitentia, quod ad authores ipsos attinet. Lectores autem si consideremus, sanè illi doctrinam hauriunt non bonam, imò perniciosam. Sed hæc obiter. In Vesalij verbis nunc recitatis, vnum est, quod mihi planè non satisfacit, Amati enim sententiam de venis per pectus repentibus non satis intellexit, ideóque minus rectè illum refellit: non tamen ob id Amati ratio melior est. Non loquitur Amatus de venis illis, quæ ex axillaribus ortæ exteriori thoracis sedi, potissimũque cuti, atque externæ musculorum superficiei ramos porrigunt, sed de illis potius, quæ vtrinque sub pectoris osse descendentes, ramulos ad costarum interualla mittunt, quorum extrema cũ venę sine pari extremis iunguntur, et vniuntur. Vesalij quoque & scriptis, & tabulis, & figuris omnibus attestantibus. Proponítque Amatus non internarum venarum cum externis vnionem, sed internarum cum internis, atque sic illius ratiocinatio multo minus absurda est, licet inualida prorsus, vt libro secundo dilucidè à nobis demonstratum putamus. Obseruanda enim sunt in Amati verbis hæc omnia: quòd di

cat

cat venas illas nasci prope iugulum, inter axillarem & cephalicam, quódque ramos cum venæ sine pari ramis coniungant. Verba illius hæc sunt, dum cauæ venæ portionem superiores cor de partes petentem describit: Rectáque ad iugulum fertur, in multas diuisa partes, sed ad propositum facientes, in axillarem & cephalicam. Inter quas duas venas prope iugulum ab vtro que latere vena quædam media est, ex axillari ferè enascens, quæ inde obrepens in multas finditur venulas, quæ in vniuersum cum venulis & ramusculis venæ sine pari copulantur, quæ, vt diximus, octo inferiores costas alit, hæc ille. Cum dicit enasci venas istas ferè ex axillaribus, indicat non esse axillarium propagines, sed ortum illarum propius ad axillariũ, quàm cephalicarum, siue humerariarum radices accedere. Quas autem Vesalius describit, nec prope iugulum sunt, nec interiora petunt, nec vnionẽ cum agyzi extremis constituunt: sunt enim illę, quas in sua fabrica P. signauit, quas autem Amatus intelligit, in eadem fabrica L. charactere notantur.

FINIS.



